ANTIQUÆ

HISTORIÆ SYNOPSIS.

Cui accedit

Geographiæ & *Rhetorices* compendium.

In usum Scholæ Collegialis Wintoniæ.

OXONIÆ,

Typis GULIELMI HALL,
Sumptibus JOS. GODWIN,
Anno Dom. cIↃ IↃc Lx.

M

CAP. 1.

DE PARTIBUS

TERRÆ.

TErra omnis quæ vel culta erat vel cognita veteribus, in partes divisa est tres, *Europam, Asiam*, & *Africam*. Europa & Africa ad occasum solis, illa Septentriones spectat, hæc ad Meridiem. Asia vero quicquid terrarum ad orientem solem complectitur. Europam ab Africa Mediterraneum mare, ab Asia Ægeum (*Archipelago*) aliqua seu maria seu freta ad flumen Tanain (*Don*) & inde linea usque ad Oceanum Borealem traducta dividit: Africâ verò Asiam Arabicus sinus.

CAP. 1.

DE PARTIBUS

TERRÆ.

TErra omnis quæ vel culta erat vel cognita veteribus, in partes divisa est tres, *Europam*, *Asiam*, & *Africam*. Europa & Africa ad occasum solis, illa ad Septentriones spectat, hæc ad Meridiem. Asia vero quicquid terrarum est ad orientem solem complectitur. Europam ab Africa Mediterraneum mare, ab *Asia* Ægeum (*Archipelago*) & reliqua seu maria seu freta ad flumen Tanaïn (*Don*) & inde linea usque ad Oceanum Borealem traducta dividit: ab Africâ verò Asiam Arabicus sinus.

Superiori autem ætate Novus orbis, vel nova potiùs orbis pars veteri pœne par (quam *Occidentalem Indiam* sive *Americam* vocant) inventus est: cujus alteram, quæ ad Septentriones vergit, partem, *Mexicanam*; alteram quæ ad *Austrum*, *Peruanam* dicimus; eæque inter se Isthmo conjunguntur. Inferiùs verò longè latèque ad Polum usque *Antarcticum* terra *Australis* incognita patére creditur, à *Magellano* nacta nomen, qui primus eam patefecit.

CAP. 2.

De Lineis, sive Circulis.

MAgnitudinem Terræ, situmq; locorum & intervalla describ-turo, *Circuli* quidam priùs tenendi sunt, quos Geographi ab Astronomis mutuati, à cœlo ad terram transtulerunt. Ii verò sunt *Æquinoctialis*, *Meridianus*, *Horizon*, *Zodiacus*, *Parallelli*. ÆQVINOCTIALEM dico, qui ab ortu ad occasum medio inter vtrumq; Polum spatio mundũ amplectitur; quam in cursu annuo quũ attigerit sol, dies ubiq; fiũt noctibus æquales. *Poli* à græco verbo πολεῖν *vertere*, illa sũt ad Septentrionalem Australemq; cœli plagã ex

extrema duo & oppoſita puncta, circa quæ cœlum volvitur; vnde Latini *Vertices* appellant. Contrà MERIDIANVS per verticem cujuſq; loci & Polos mundi tranſit; ex eo ſortitus nomen, quod vbi ſol ad illam quotidiano curſu pervenerit, vbiq; ejus loci meridies fiat. Itaq; tot fingi poſſunt Meridiani, quot diverſa locorum ſunt ab ortu ad occaſum ſpatia. Primus autem qui appingi ſolet, per Inſulas Fortunatas in occidentali pelago, quas Canarias vocant à nonnullis Geographis veteres & Ptolemæum ſecutis producitur; verum ab alijs pleriſq; ad Azores vlterius in Occidente conſtituitur. HORIZON ea eſt quaſi linea, quā ſuperior & media mundi pars æquali portione ita terminatur & clauditur, vt oculorum acies nihil aſſequi inferius poſſit. ZODIACVS autem ex obliquo interſecat Æquinoctialem, in quo cœleſtia illa 12 ſigna, τῶν ζωδίων, i. animantium ſimulachra deſcribuntur ab Aſtronomis; & infra quam Solis reliquorumq; Planetarum curſus annui peragūtur. Quid autem PARALLELI? quorum alter ita æqualiter ab altero diſtat, vt nullâ ex parte vel ad ſe propiùs accedant, vel à ſe invicem removeantur

longius. Ex iis medius & maximus eſt (de quo ſupra diximus) Æquinoctialis, unde reliqui ab vtroq; latere ad utrumque Polum, eo quo Geographis placet numero, deſcendunt. Quatuor autem ex vſu & re, nomen etiam proprium conſequuti ſunt, *Tropici* & *Polares* circuli. TROPICVs à græco τρέπειν, quòd eò cum decurſum ſit, retrò ſe quotannis vertat Sol. Itaq; alius à Boreali Æquatoris parte *Tropicus Cancri* dicitur, quia per Cancri ſignum in zodiaco ducitur; alius verò ab Auſtrali parte non diſſimili ratione *Capricorni*. POLARES qui circa Polos, Septentrionalem *Arcticus* ab vrſâ, & Auſtralem huic qui opponitur *Antarcticus* deſcribuntur.

CAP 3.

De Zonis & Climatibus.

INter hos 4 Parallelos, quinque terrarũ plagæ quæ comprehenduntur, quinque ſunt ZONÆ. *Quarum* (ſi Poetæ habeamus fidem) *quæ media eſt non eſt habitabilis æſtus.* Eam verò innuit, quæ ab æſtu illo TORRIDA nuncupatur; totoq; inter Tropicos, ab Æqua-

Æquatoris vtraq; parte, ſpatio definitur. *Nix tegit alta duas:* FRIGIDAS nimirum & extremas vult, quæ intra Circulos polares quicquid terrarum eſt ad ipſos vſq; polos occupant. *Totidem inter vtramq; locavit Cura Dei*; inter extremas ſcilicet & mediã: *Temperiemq; dedit mixta cum frigore flammâ*, quas inde TEMPERATAS iure dicimus. Quanquam in hac ætate compertum ſit, neq; Mediam Zonam ita eſſe Torridam, neq; verò extremas ita frigidas, quin vt humano cultui cedant vtraq; & ſufficiant. Itaq; Zonarum quidem hæc eſt; cui haud multum abſimilis videtur *Climatũ* ratio. Quid enim aliud eſt CLIMA quam ſpatium terræ inter duos Parallelos, quorum lõgiſſimi dies inter ſe dimidia parte vnius horæ differunt?

CAP. 4.

De Longitudine & Latitudine.

IAm verò ex iſtis Circulis ratio ſitus cuiuſq; loci vt innoteſcat, *Longitudo* & *Latitudo* eius cognoſcenda eſt. LONGITVDO nihil eſt, niſi à primo Meridiano (de quo ſupra diximus) diſtantia; quæ quidem ex eo Æquatoris

gradu quem ipſius loci Meridianus interſecuerit, facillimè colligetur, Quēlibet enim ex Circulis majoribus in 360 gradus diſpertimur ; quibus in terra ſingulis millia 60 paſſuum aſſignantur. Mille verò paſſus (vt huius etiam ratio menſuræ conſtet) 8 ſtadia, ſtadium 125 paſſus, paſſus 5 pedes, pes 4 palmos, palma 4 digitos, digitus denique quatuor in ſe grana continet. Quod memoriæ cauſa verſiculis iſtis, qualeſcunq; demum ſint, accipitote :

Quatuor ex granis digitus componitur unus :
Eſt quater in palmo digitus, quater in pede palmus :
Quinque pedes paſſum faciunt, paſſus quoque centum
Quinq; & viginti ſtadium dant : milleque paſſus
Octo tenent ſtadia, & duo millia dant tibi Leuca.

Verum LATITVDO eſt cuiuſq; loci ab Æquatore verſus alterutrum Polum diſtantia ; & ex eo primi Meridiani gradu, quem proximus loco Parallelus pertranſierit, non difficulter inveſtigabitur.

CAP.

CAP. 5.

De Europa.

EVROPA reliquis non magnitudine ſed virtute & dignitate comparanda in continente regiones habuit.

1. *Hiſpaniam vel Iberiam.*	1. *Hiſpania.*
2. *Galliam.*	2. *Gallia.*
3. *Germaniam.*	3. *Germania.*
4. *Ratiam & Vindeliciam.*	4. *Suevia, Bavaria, Tirolis, Ratia.*
5. *Italiam.*	5. *Italia.*
6. *Noricum.*	6. *Salisburgenſis Epiſcopatus &c.*
7. *Iſtriam.*	7. *Hiſtria.*
8. *Illyricum ſive Dalmatiam.*	8. *Sclavonia, Crovatia, Dalmatia, Boſna* vel *Boſina.*
9. *Pannoniam ſuperiorem.*	9. *Auſtria inferior cum Stiria.*
10. *Pannoniam inferiorem.*	10. *Hungariæ pars* } *Hungaria.*
11. *Iaziges metanaſtas.*	11. *Hungariæ pars altera.* } *Hungaria.*

 12. *Sar-*

12. *Sarmatiam, Europæam.*	12. *Prussia, Podolia, Polonia, Lituania, Livonia, Muscoviæ pars,*
13. *Tauricam Chersonesum.*	13. *Perocopsa, Gesara, sive Gazaria.*
14. *Daciam.*	14. *Russia, Moldavia, Transylvania.*
15. *Mæsiam, sive Mysiam superiorem.*	15. *Servia.*
16. *Mæsiam, sive Mysiam inferiorem.*	16. *Bulgaria & Valachia.*
17. *Thraciam.*	17. *Romania.*
18. *Græciam.* { *Macedoniã. Epirũ Achaiam. Peloponẽsũ* }	18 { *Macedonia, Albania, quibusdã aliis Janna, Morea.* } *Græcia.*

Quibus etiam adjicienda est, quæ postea demum innotuit, magna illa ad Septentriones Peninsula, ubi *Narvegia*, *Suetia*, *Gothia*, &c. continentur.

Insulas verò præcipuas in Oceano habuit Britannicas,

1. *Albionem.*	1. *Magna Britannia. Anglia Scotia.*
	2. *Hi-*

2. *Hiberniam.*	2. *Hibernia.*

In Mediterraneo mari.

3. *Siciliam.*	3. *Sicilia.*
4. *Cretam.*	4. *Candia.*
5. *Sardiniam.*	5. *Sardinia.*
6. *Corſicam.*	6. *Corſica.*
7. *Eubœam.*	7. *Negroponte.*
8. *Balearides.*	8. *Majorica & Minorica.*

Montes Pyrenæos & *Alpes*; Fluvios Danubium & Rhenum; denique urbes olim *Athenas*, Lacedæmona, & Romam, noſtris autem temporibus Conſtantinopolin (Bizantium) Thraciæ, Lutetiam Pariſiorum Galliæ, Londinum Britanniæ.

CAP. 6.

De Africâ.

AFRICA maximè omnium inculta & barbara cujus mediterraneæ maximæque partes Toridæ Zonæ ſubjiciuntur. Tenuit ea quondam.

1 *Mauritaniã Tingitanam.*	1 *Fezza & Morocco regna.*	*Barbaria.*
2 *Mauritaniam Cæsariensem.*	2 *Regnũ Tremisenum.*	
3 *Africam minorem*	3 *Regnum Tunetanum.*	
4 *Cyrenaicam.*	4	*Barca.*
5 *Marmaricam.*	5	
6 *Lybyam exteriorẽ.*	6	
7 *Ægyptum.*	7 *Ægyptus.*	
8 *Getuliam.*	8 *Zanhaga, Gualata, &c.*	
9 *Numidiam.*	9 *Targa.*	
10 *Garamantes.*	10 *Borno & Berdoa.*	
11 *Lybyam interiorem.*	11 *Sarra, i, Desertum.*	
12 *Æthiopiam sub Ægypto.*	12 *Nubia, & regnũ Abyssinorum.*	
13 *Trogloditicam.*	13 *Desertum Cossir, Causila, Dasila, &c.*	
14 *Æthiopiam interiorem.*	14 *Guinea, &c.*	

Huc etiam istæ regiones novæ, ulterius nuper usque ad *Caput bonæ spei* extremum Africæ promontorium detectæ, referantur. Insulæ adjacent insigniores *Africæ*, quas olim *Fortunatas* jam

jam vero dicunt Canarias; & magna illa Sancti Laurentii : Montes verò sunt Major, & Minor *Atlas*; fluvii Nilus & Niger; urbes olim Carthago, & *Alexandria*, nunc verò Cair in *Ægypto*.

CAP. 7.

De Asiâ.

ASia longè maxima, & bipartita, *Minor* alia est (*Natolia*) ubi

1 *Pontus*	{ *Bursia, sive*	
2 *Bithynia.*	{ *Chintaie.*	
3 *Phrygia major.*	3 *German.* }	*Sarcũ*
4 *Phrygia minor.*	4 *Becsagil* }	*aliis.*
5 *Æolis.*	5	
6 *Jonia.*	6 *Quinscon.*	
	Turc.	*Sarcũ*
7 *Lydia & Pæonia.*	7	
8 *Cæria, &c.*	8 *Aldinelli.*	
9 *Lycia.*	*Briguia vel Mentese.*	
10 *Galatia.*	10 *Chiãgare, & Bolli*	
11 *Pamphilia, Setilia.*	11. *Caramnia.*	*Caramania*
12 *Cilicia.*	12	

Alia

Alia verò *Major*, ubi.

1 *Armenia minor.*	1 *Pegiam vel Anadole, & Sunos.*
2 *Armenia major.*	2 *Turcomania.*
3 *Colchis.*	3 *Mengrelia.*
4 *Iberia.* }	4 } *Georgiani.*
5 *Albania,* }	5 }
6 *Serica.*	6 *Catajo.*
7 *Sarmatia Asiatica.*	7 }
8 *Scythia intra Imaum.*	8 } *Tartaria.*
9 *Scythia extra Imaum.*	9 }
10 *Syria.*	10 *Soria.*
11 *Judæa, & Palæstina.*	11
12 *Arabia* { *Petrea.* *Deserta.* *Fœlix.*	*Ayaman.*
13 *Mesopotamia.*	13
14 *Babylonia & Chaldæa.*	14
15 *Assyria.*	15 *Sarch Asinia Mosul Arierum.*
16 *Media.*	16 *Servan.*
17 *Susiana.*	17 *Cusistan, Susay, Cus.*

18 Pere

18 *Perſis.*	18 *Farſi.*
19 *Parthia.*	19 *Parthia.*
20 *Carmania.*	20 *Chirman.*
21 *Hyrcania.*	21 *Diargument, Strava, Caſſon.*
22 *Margiana.*	22 *Ieſelbas.*
23 *Bactriana.*	23 *Curuſſan.*
24 *Sacas.*	24 *Belor deſertum.*
25 *Sogdiana.*	25 *Coraſnia.*
26 *Aria.*	26 *Sternere, Hetia, Coraſam, Thetatia.*
27 *Parophaniſus.*	27 *Sableſtan.*
28 *Drangiana.*	28 *Sigiſtan.*
29 *Archoſia.*	29 *Cabicl.*
30 *Gedroſia.*	30 *Geſt, Guzarate, Circan.*

31. India tam intra quam extra Gangen; quæ poſtrema continet ampliſſimum Chinæ regnum, nuper admodum Europæis notum. *Ad Aſiam* ſpectant Inſulæ, in mari Mediterraneo *Cyprus* & *Rhodus*, in Oceano Indico Summatra, olim Taprobane. Japonia ſive Japan, Java major & minor, *Borneo*, Inſulæ *Molucca*, & aliarum multa millia. Montes *Taurus* & *Imaus*. Fluvii *Euphrates*, *Indus*, *Ganges*. Urbes *Babylon*, *Ninive*, *Troja*, *Hieroſolyma*, nunc autem *Quinſay China*.

CAP.

CAP. 8.

De Turre Babel, & Partitione Terræ post Diluvium.

POst diluvium, quod in mundi annum incidit mille ſimũ ſexcente-ſimum quinquageſimum ſeptimum, vbi iam paulatim augeſcebat hominum numerus, NOAH ſeptingentorum annorum ſenex, liberis poſterisq; ſuis autor fuit, in diverſas proficiſcendi rigiones, deducendi colonias, & conſtituendi civitates. Id antequam fierent, perpetuum ſui nominis monumentum vt relinquerent, Nimrodo duce Noachi ex Chamo Proneporẽ, vrbem, & in ea ſummæ turrim altitudinis in regione Chaldæa moliuntur. Quos hominum ſuperbos & ambitioſos conatus irritos vt faceret Deus, immiſſa linguarum ſubita conturbatio μίσγπας ἀνθρώπους (ut appellat Homerus) reddidit, apud quos omnes vnum prius fuerat, idemq; ſermonis genus. Inde vrbs Babel, poſtea BABYLON dicta; vbi NIMRODVS ille imperii Babylonici, primæq; Aſſyriorum Monarchiæ 30 poſt annis ſedem conſtituit, & 56 dominatus eſt. Interim

Anno Mundi. 1758.

1788.

ex

ex tribus Noachi filiis, posteri SEM Asiæ maioris maximam partem, ab Euphrate fluvio ad orientem, tenuerunt. CHAM, qui *Ammon* postea dictus, & pro Deo habitus est, Asiæ regiones Ægypto vicinas, terram Canaan, Arabias tres, Chaldæam, Mesopotamiam, & Africam totam occupavit. IAPHET (qui fortasse *Iapetus* ille poetarum est) in Europa vniversa, minori Asia, & aliqua maioris ad Septentriones parte, sedem sibi suisq; vendicavit. E quibus (vt credibile est) *Magog* Scythiam incoluit. Ea verò Borealem Europæ Asiæq; omnẽ ferè tractum, & sub communi nomine Sarmatiam vtramque videtur esse complexa. Eadẽ puro ætate *Cham*, eiusq; filius *Mizraim* sive *Osiris* Ægyptum occupaverunt, quæ Africæ ad Arabicum sinum prima regio est;

Terra suis contenta bonis, non indiga mercis,
Aut Iovis, in solo tanta est fiducia Nilo.

Ægypti Rex quidam *Vexores*, & Scythiæ *Tanais* primi sunt, de quibus Græcorum Historiæ veteres aliquid memoriæ prodiderunt. 1860. Justinus Hist. Lib. 1.

CAP.

CAP. 9.

De Belo, Nino, & Semiramide.

POst Nimrodum regnavit in Assyria
1843. BELVS, *Iupiter* Assyriorum,
1908. annis 65. Eoque mortuo NINVS
Just. (qui Civitati Ninive nomen & ampli-
Lib. 1. tudinem dedit) annis 52 imperavit. Ille continuis victoriis totius sibi Orientis populos subegit. Postremum cum *Zoroastre* rege Bactrianorum gessisse bellum dicitur; quem primum ferunt artes magicas inveniſſe & mundi principia siderumq; motus dilgentissimè spectâsse. Hoc occiso & ipse decessit, relicto impubere adhuc filio Nino ex vxore SEMIRAMIDE. Hæc igitur ipsa imperii moderamen suscepit, magnas-
1960. que deinde res gessit. *Babylonem* condidit, murumq; vrbi cocto latere circundedit, arenâ pice, bitumine, interstrato, quæ materia in illis locis passim è terra exæstuat. Nec contenta acquisitos à viro regni terminos tueri, Æthiopiam quoq; regno suo adiecit. Quin & Indiæ bellum intulit; vbi; à rege Staurobate, vel (vt alii volunt) cum concubitum filij petijsset, ab eodem

eodem interfecta eſt, duos & quadra- 1002.
ginta annos poſt Ninum regno potita.

CAP. 10.

De Amazonibus.

PAaulo ante Nini regnum, apud 1870.
Scythas duo regij juvenes *Plinor.* Juſtin.
& *Scolpythus*, per factionem opti- lib. 2.
matũ domo pulſi, ingentẽ ſecũ juventutẽ traxere, & in Cappadociæ ora juxta Thermodoonta conſedere, ſubiectoſq; Themiſcyreos campos occupavere. Ibi permultos annos ſpoliare finitimos conſueti, conſpiratione populorũ trucidantur per inſidias. Horum vxores, cum viderent exilio ſuo additam orbitatem, arma ſumpſere, fineſque ſuos, ſummoventes primò, mox inferentes bella, defendunt. Nubendi quoq; finitimis animum omiſere; ſervitutem matrimonium appellantes. Singulare omnium ſæculorum exemplũ, *Auxere* rempub: ſine viris; jam etiam cum contemptu virorum ſe tuentur. Et ne fæliciores aliæ alijs viderentur, viros qui domi remanſerunt interficiunt; vlrionem quoq; cæſorum conjugum, excidio finitimorum conſequuntur. Tunc pace armis

armis quæsitâ, ne gens interiret, concubitum finitimorum ineunt. Si qui mares nascerentur, interficiebantur. Virgines in eundem ipsum morem, non otio neq; lanificio, sed armis, equis, venationibus exercebantur; invstis infantium dexterioribus mammis, ne sagittarum iactus impediretur; vnde AMAZONES sunt dictæ.

CAP. II.

De Origine Superstitionis & Idololatriæ

EXciderat hominibus jam pœnè vniversis, non modo religionis, sed omnis ferè veri & vnius Dei memoria. Inhærebat tamen mentibus naturale quoddam lumen, quo & esse aliquod, & colendum esse divinum numen monebantur. Itaq; primo in Chaldæa & Ægypto cœlum ac sidera, vnde maxima humano generi videbantur & beneficia oriri & mala, pro Diis venerati sunt. Verum Ninus (vt quidam volunt) primus, cum Belo patri suo jam defuncto statuam collocasset, eundem à subditis in eâ statuâ etiam coli tanquam numen voluit; vnde BEL, *Beel* seu *Baal* Idolum & nomen traxit, & originem. Hic de-

inde

inde mos facilè per orbem terrarum receptus est, maximè ab ijs qui prudē-tiores videbantur, tum vt cives suos hoc religionis metu obstringerent & continerent, tum vt divinitatis spe ad opera præclara excitarent. Nam vt quisq; erat optimè de patria sua meritus in Deorum numerum est ascriptus. Vnde omnia Deorum nomina ex hominum nata esse meritis, qui ex illis ipsis gentibus doctiores erant fatebantur. Itaq; dum mortuos tanquam superstites adorabant, SVPERSTITIO nata est; dum Idola sive simulacra hominum pro vero Deo venerabantur, IDOLOLATRIA promanavit; quæ deinde templis ris, sacrificijs, poetarum lenocinijs, sacerdotum præstigijs, malorum Dæmonum oraculis ita propagata est, vt in orbe terrarum 30 Deorum fictitiorum millia viri quidam docti numeraverint. Adeo multiplex & fœcunda est impietas & superstitio cum vt Deus verus est unicus, ita religio vera vnica semper erit & immutabilis.

CAP.

CAP. 12.

De Abrahamo, & Religione verâ.

Geneſis. cap. 11. 12. &c.

ERat autem his temporibus ex gente Chaldæorum, eximiæ probitatis ac religionis veræ vir, majoribus Tharâ, Nahor, Serug, Regu, Peleg, Eber, Arphanar, Sem, Noah oriundus, ABRAHAM; cujus ex ſtirpe *Meſſiam* ſive *Chriſtum*, generis humani mediatorem ſalvatoremq; naſci, jam antè ab æterno conſtituerat Deus. Is ex Vr *a* Chaldæorũ in Haran ſive Charras; inde poſt quadriennium in *terrã Canaan b*, quam poſteris ejus incolendam traiturum ſe Deus promiſerat, evocatus eſt. Ibi *Circumciſio c* poſt annos 24 in ſignum fœderis cum ejus progenie, ve potius genere humano inſtituta eſt; que anno accidit etiam *Sodomorum* conflagratio. Ibi ex Agar ancilla *Iſmael*, e conjuge Sarah *Iſaacũ d* genuit. Quen vnicum filium in fidei experimentu à Deo mactare juſſus, paruit: Cu Deus fidem ſatis expertus, victimæ p percit. arietem ſubſtituit. Ibi deni vixit, ibi mortuus eſt anno ætatis 17 Mundi 2124, ibi ſepultus eſt maxim ille Patriarcha.

a 2020.

b 2024.

c 2048.

d 2062.

CA

CAP. 13.

De Hebræis sive Israelitis post Abrahamum.

ABrahamo succeſſit filius ISAAC, *a* paternæ religionis & probitatis hæres. Iſaaco IACOB *b* ſiue ISRAEL; cujus ex filijs duodecem IOSEPHVS *c* invidiâ fratrum venditus in Ægyptum, calumniâ Dominæ conjectus in carcerem, *d* divinâ ipſius in ſomnijs explicandis peritiâ ſolertiâq; ad ſummum propè regni ejus faſtigium evectes eſt *e* quo & patrem cum familiâ aliquot poſt annos devocavit *f*. In ejus tamen poſteros à novis Ægyptiorum regibus ita ſævitum eſt, vt ipſe Deus per MOSEN adminiſtrum, & Ægyptios plagis decem afflixerit, & populum Iſraeliticum à ſervitute liberârit *g*. Per IOSVAM verò, poſtquam in Eremo annos quadraginta oberraſſent, etiam in terram Canaan revocavit; quam exulſis incolis vi occupatam, ſub imperio IVDICVM annos ferè quadringentos tenuerunt.

a 2124. Geneſ. 25. 26.
b 2229.
c 3217.
d 2227.
e 2230.
f 2239. Exod. 1. 2. &c.
g 2454. Joſua. 1. 2. &c. Judic. 1. 2. &c.

CAP.

CAP. 14,

De Tyris & Cadmo.

INterim duas finitimas habuerunt omnium in illis temporibus mer catura & opibus florentiſſimas vrbe ad mare, *Tyrum* & *Sidona*. Tyriorum gens condita à Phœnicibus fuit, qu terræ motu vexati, relicto patrio ſolo Aſſyrium ſtagnum primò, mox mar proximum littus incoluerunt, condit ibi vrbe, quam à piſcium vbertat SIDONA appellaverunt. Nam piſce Phœnices *Sidon* vocant. Poſt mult deinde annos à rege Aſcaloniorũ exp gnati, navibus appulſi, TYRON vrbe condiderunt. Ab hâc *Syriam* quaſi *Ty riam* primo dictam veriſimile videtu Nam Phœnicia, (vbi Tyrus) quæda Syriæ pars eſt. Ab hâc in omnes mun partes deductæ ſunt coloniæ quam pl rimæ: In inſulâ perexiguo ab Hiſpa freto diviſa, *Gades a*; in Africa vr *Vtica b*; in Græciâ *Thebæ Bœotica* CADMO *c* Agenoris filio condito quẽ & *Litteras* primum attuliſſe Græciam ferunt: Vnde poeta,

Juſtin. lib. 18.

a 2900. *b* 2920. *c* 2507.

Ph

Phœnices primum (famæ si creditur) ausi
Mansuram rudibus vocem signare figuris.

Quamquam apud Hebræos sive Israelitas, longè antiquior fuerit litterarum vsus; & ab ijs accepisse Tyrios facilè crediderim.

CAP. 15.

De primis Græciæ Incolis, & Regibus Athenienſium.

ERat jàm anteà diù regnatum in GRÆCIA; quam *Iavam* Iapheti sive Iapeti filium cum suis posteris tenuisse primum, *Ionice* gentis ipsum nomen innuere videtur. *Ægialeus* regnum Sicyoniorum constituerat ante; Ninum anno 1880. *Ogyges* (vt quibusdã placet) Thebas condiderat longè ante Cadmum, anno mundi 2176. *Cecrops* etiam regnaverat Athenis anno 2412: Quem, vt omnis antiquitas fabulata est, biformem prodidere, quia primus Marem fœminæ matrimonio junxit. Huic successit *Cranaus*; cujus filia *Athis* regioni nomen dedit. Post hunc *Amphitrio*, Justin. Lib. 2.

phitrio regnavit, qui primus Minervæ vrbem ſacravit, & nomen civitati ATHENAS dedit, Hujus temporibus, aquarū illuvies majorem partē Græciæ abſumpſit; qualis antea fuit ſub Ogyge. Superſuere quos refugia montiū receperant, aut ad Regem Theſſaliæ DEVCALIONEM vecti ſunt navibus; à quo propterea genus hominum conditum dicitur. Deinde poſt *Erichthonium* & *Pandionem* regnum ad *Erittheum* deſcendit; ſub quo, frumenti ſatio apud Eleuſin à *Triptolemo* reperta eſt. Itaq; à Cadmo Thebæ non tam conditæ, quam vel inſtauratæ, vel exornatæ videntur; & Græcia tum demum florere, non incoli cœpit. Tenuit & *Ægeus* Theſei 2700. pater Athenis regnum; poſt Ægea THESEVS; poſt Theſea filius *Demophoon* qui auxilium Græcis contra Trojanos tulit.

CAP. 15.

De Oedipo, Pelope, Hercule, Argonautis.

CVm Ægeo Thebis OEDIPVS, & in ea Peninſulâ Græciæ, cui nomē eſt, ipſe fecit, PELOPS regnabat. Cum Theſeo florebat HERCVLES ille

Thebanus, cujus Boetæ Labores virèsq; celebrant, omniùmque ferè virorum fortitudine illúſtrium, etiam Barbarorũ geſta huius vnius nomini affingunt. Eodem ſæculo ſuſcepta eſt celeberrima illa *Argonautarum* ſiue lectiſſimorum totius Græciæ principum in Colchos expeditio, duce IASONE Theſſalo; quem cum perditum propter inſignem Periculoſamq; regno ſuo virtutem *Pelias* Rex cuperet, hanc ei militiam denunciauit vt *aureum* inde (ſic enim Poetæ) arietis *vellus* reportaret.

CAP. 17.

De Hiſpaniâ, Habide Rege, & Geryone.

QVam veteres regionem ab Ibero amne primum Iberiam, poſtea ab Hiſpalo *Hiſpaniam* cognominauerunt. Hæc inter Africam & Galliam poſita, ab ea Oceani freto, ab hac Pirenæis montibus dividitur. Quis eam incoluerit primus, vtrum Iapheti filius Tubal (vt quidã volũt) an eo ex Africa vicina tranſierint incerto duce, incertũ eſt. De *Habide* autem antiquiſſimo prudentiſſimoq; Rege Gargaridis ex filiæ ſtupro Nepote, ſimilia quædam memo-

orantur ijs, quæ postea Romulo acciderunt. In aliá parte Hispaniæ Regnum penes *Geryonem* fuisse tradunt; cuius armenta, quæ illis temporibus solæ opes habebantur, tantæ famæ fuere, vt Herculem ex Asia prædæ magnitudine illexerint. Geryonem verò ipsum non triplicis naturæ, vt fabulis proditur, fuisse ferunt; sed tres fratres tantæ concordiæ extitisse, vt vno animo omnes regi viderentur: Nec bellum Herculi sua sponte intulisse; sed cum armenta sua rapi vidissent, amissa bello repetisse.

CAP. 18

De Saturno, & Regibus Italiæ.

EXtincto Geryone armenta victoriæ præmia per ITALIAM reduxit Hercules; vbi tertio post *Picum* & *Saturnum* loco regnantem Faunum reperit. SATVRNVS enim primus est, de quo aliquid memoriæ proditum accepimus, Italorum Rex; qui tantæ iustitiæ fuisse dicitur, vt neq; servierit sub illo quisquam, neq; quicquam privatæ rei habuerit; sed omnia communia ac indivisa fuerunt, veluti vnum cunctis patrimonium esset. Itaque [illegible] regis nomine

Iustin. lib. 43.

nomine Saturnia appellata eſt, & mons quem inhabitabat Saturnius; in quo poſteà, veluti àIove pulſo ſedibus ſuis Saturno, Capitolium fuit. Fauno rege *Evander*, ab Arcadiæ vrbe Palantæo, in Italiam cum mediocri turba populariū venit; cui Faunus & agros, & montem quem ille appellavit poſtea Palatinum, benignè aſſignavit. Ex Fauni filia ſtupro Hercules *Latinum* ſuſcepit; qui & nomen genti dedit, & poſt Faunum annis 35 imperavit.

CAP. 19.

De Origine Artium Liberalium.

ARtium Liberalium (quas vocant) & omnium diſciplinarum ſemina quædam inter homines iam inde à Diluvio ſparſa remanebant, Ac primā certè omnium fuiſſe *Muſicam* vſu celebratam non abſurdè quis crediderit. Deinde verò cæperunt in Chaldæa cœli ſiderumq; motionem Autore Belo diligentèr obſervare; unde in Africam & Ægyptum ea promanavit diſciplina. *Atlas* autem ex Libya primus attuliſſe in Græciam fertur; vbi Orionem ille, *Orion* Græcis annum inſtituit, &

*A*ſtronomiæ fundamenta jecit. Poſt hanc, antiquiſſimum è doctis erat genus *Poetarum*; qui carminibus & cantilenis quibuſdam, clariſſimorum virorum res geſtas ab interitu & oblivione vendicabant. Sed Græci nihil habent vetuſtius *Sibyllis*; quas ante bellum Troianum ſecuti ſunt *Linus* Herculis præceptor, ORPHEVS Lini auditor & Argonautarum comes, & eiuſdē, credo, ſæculi Poeta *Muſæus*.

CAP. 20.

De Bello Trojano.

2779. HAc demum ætate, poſt annos mille ac centum à Diluvio, ſuſceptum eſt illud celebratiſſimum à Græcis in Trojanos bellum. Erat enim *Troja* ſive Troas Phrygiæ minoris regio, & ejus caput *Ilium*; ubi regnum DARDANVS ante annos 300 compoſuerat. Verum interceſſerant jam antea inter Aſiaticos & Græcos mutuæ quædam injuriæ. Tyrii mercatores *Jo* regis *A*rgivorum *Inachi* filiam abduxerant in *Æ*gyptum. Cretenſes *Europam* ex Phœnicia, Argonautæ *Medeam* ex Colchide rapuerant. Itaque *Alexander*

2488. Herod. lib. 1.

ſive

sive PARIS Priami regis Trojanorum filius, ad ulciscendas has injurias idem sibi licere cum impunè arbitraretur, HELENAM MENELAI regis Lacedæmoniorum uxorem, violato etiam jure hospitii, clam surripuit. Eam ut vi & armis repeterent, omnium Græciæ principum conjuratio quædam inita est, duce omnium atque imperatore constituto AGAMEMNONE, Menelai fratre, *Pelopis* ex *Atreo* nepote, Mycenarum Argivorumque rege. Sic itaque regnum Trojanorum, ægrè tandem capto dirutoque post decem annorum obsidionem Ilio, funditus deletum est. *A. M.* 2788. 2788.

CAP. 21.

De Græcis post bellum Trojanum, & Heraclidis.

NEque verò Trojanis tantum victis bellum hoc, sed & victoribus etiam Græcis fuit luctuosum, vereque Ἰλιὰς (quod ajunt) κακῶν. ACHILLES Myrmidonum rex, & AJAX Telamonis filius, duo fortissimi duces ita perierunt,

ut Achilles ab ignava Paride per fraudem interfectus sit, Ajax verò furens mortem sibi conscíverit. *Palamedes* vir prudentissimus ab Ulysse per calumniam oppressus. ULYSSES diu vagatus, domi tandem à filio Telegono, quem ex Circe genuerat, occisus. *Ajax* alter fulmine trajectus. DIOMEDES patria repulsus in Italiam venit, ubi socii dicuntur esse in aves, hoc est, piratas conversi, & paulatim absumpti. *Teucer* Telamonis alter filius, non receptus à patre ob segnitiem non vindicatæ fratris injuriæ, Cyprum appulsus cognomine patriæ suæ Salamina constituit. Reliqui duces tempestatibus jactati, ægrè tandem evaserunt in Græciam. At rex regum *Agamemnon* reversus in patriam, scelere patruelis fratris *Ægisti*, hæreditarium exercentis in eum odium, & facinore uxoris *Clytemnestræ* oppressus, domi occiditur. regni Argivi potitur Ægistus per annos septem. Hunc *Orestes* matremque cum socia consiliorum omnium sorore *Electrâ* virilis animi fœminâ, obtruncat. Qui (etiam vixit annos 89, regnavit 70) post Orestis interitum filii ejus *Penthelus & Tisamenes* regnavere triennio. Tum ferè anno 80. post Trojam captam,

Patercul. lib. 1.

2868.

ptam 130. quâ Hercules decesserat, Pelopis progenies, quæ omni hoc tempore pulsis Heraclidis Peloponesi imperium obtinuerat, ab Herculis progenie expellitur. Duces recuperandi imperii fuere *Teminus*, *Cresphontes*, *Aristodemus*, quorum atavus fuerat.

CAP. 22.

De Ænea, Antenore, & Tyrrheno,

ETrojanis autem deleto Ilio, ÆNÆAS in Italiam venit, Latino regnante; statimque prælio exceptus, cum in aciem exercitum eduxisset, ad colloquium vocatus, tantam admirationem sui Latino præbuit, ut in societatem regni reciperetur, & *Laviniâ* in matrimonium data, ei gener ascisceretur. Post hæc, commune utriusque bellum adversus *Turnum* Rutulorum regem fuit, propter fraudatas Laviniæ nuptias: in quo & Turnus & Latinus interierunt. Igitur cum *Ænæas* jure victoriæ utroque populo potiretur, urbem eo nomine uxoris Laviniæ condidit. Bellum deinde adversus *Mezentium* regem Hetruscorum gessit; in quo cum ipse occidisset, in locum ejus 2750. Justin. lib. 43.

Aſcanius filius ſucceſſit: qui Lavinio relicto *Longam Albam* condidit, quæ trecentis annis caput regni fuit. In ſuperiorem Italiæ partem, quam Galliam Ciſalpinam nominabant veteres, & Iſtriam illi vicinam, *Antenor* Henetos Trojanorum vicinos duxit. *Patavium-que* civitatem condidit; ubi nunc etiam poſt tot ſæcula *Venetum* nomen celeberrimum habetur. Per hæc etiam tempora *Lydus* & *Tyrrhenus* fratres, cum regnarent in Lydia, ſterilitate compulſi, ſortiti ſunt uter cum parte multitudinis patria diſcederet. Sors Tyrrhenum contigit: Per vectus in Italiam, & loco & incolis, & mari nobile ac perpetuum à ſe nomen dedit.

Patercul. lib. 1.

CAP. 23.

De Regibus Iſraelitarum, Saulo, Davide, Salomone.

POpulus Iſraeliticus in terrâ Canaan poſt *Judices* A. M. ferè 2881, cum SAMUEL prophetа divinitus adminiſtraret imperium, impiâ quadam audaciâ commotus, aliam gubernationis formam, quam quæ hactenus erat à deo inſtituta, & Regem pro

pro more aliarum gentium efflagitavit. Deus id quamquam subiratus concedit, & *Sauli a* viro admodam proceri corporis regnum tradit; ut verissimum hic sit illud Poetæ πρῶτον μὲν εἶδος ἄξιον τυραννίδος. Huic religiosissimus bellicosissimusque rex DAVID, *b* Davidi successit sapientissimus omnium SALOMON: *c* qui Templum Deo magnificentissimum Hierosolymis ædificavit. Deinde verò in duo regna distractum est imperium; quorum alteri ex tribus Juda tantum, & Beniamin constanti, Salomonis filius *Roboam Hierosolymis* præfuit, Judæumque appellatum est: Alterum verò Israeliticum tribus decem complectens, *Jeroboam* occupavit, & præcipuam ejus in *Samariâ* sedem constituit.

a 2881.
b 2891.
c 2931.

CAP. 24.

De Codro Atheniensium Rege ultimo, & Megara civitate.

EOdem fere tempore quo Israelitæ cæperant, Athenæ sub regibus esse desierunt, quorum ultimus fuit CODRUS Melanthi filius: qui cum Lacedæmonii, sive (ut alii volunt) Do-

2899. Justin. lib. 2. Paercul. lib. 1.

Dorienſes gravi bello Atticos premerent, reſpondiſſeque Pythius, eos futuros ſuperiores, ni regem Athenienſium occidiſſent; depoſitâ veſte regiâ paſtoralem cultum induit, immiſtuſque caſtris hoſtium, de induſtriâ rixam ciens interemptus eſt. Codrum cum morte æterna gloria, Athenienſes ſecuta victoria eſt. Quis eum non miretur, qui iis artibus mortem quæſierit, quibus ab ignavis vita quæri ſolet? Poſt Codrum conſtituti ſunt *Archontes* perpetui; quorum primus erat Codri filius *Medon*. Verùm poſtea cæperunt in denos annos creari; quæ conſuetudo in annos 70 manſit. Ac deinde annuis commiſſa eſt magiſtratibus reſpub: Peloponneſii digredientes finibus Atticis, *Megaram* mediam *Corintho Atheniſque* urbem condidere.

CAP. 25.

De Homero & Heſiode.

Patercul. lib. 1. 3060.

CLariſſimum deinde HOMERI, poſt annos (ut opinor) ducentos à bello Trojano illuxit ingenium: ejus illud eſt maximum, quod in quo opere primus author, in eo etiam perfectiſſi-

fectiſſimus fuerit. Quamquam de ſæculo in quo vixerit, de patriâ, niſi quod homo Græcus ſit, vel de parentibus etiam, nihil certò conſtat, præter hoc unum conſtare certo nihil. Quem autem vivum (ut ferunt) rebuſque omnibus indigentem agnovit nemo, mortui jam ob nominis celebritatem.

Ἑπτὰ πόλεις διεζῶσι περὶ ῥίζαν Ὁμήρου,
Σμύρνα, Ῥόδος, Κολοφών, Σαλαμὶν, Χίος, Ἄργος, Ἀθῆναι.

Centum opinor annos poſt Homerum, floruit HESIODUS; poeta tempore, ſic operis autoritate proximus: quem ita veteres admirati ſunt, ut calamos illi à Muſis donatos crediderint. 3195.

CAP. 26.

De Lycurgo Lacedæmonio.

PAulò ante LYCVRGVS Lacedæmonius fuit, ſeveriſſimarum juſtiſſimarumque legum author, & diſciplinæ convenientiſſimæ vir: Cujus quam diu Sparta diligens fuit, excelſiſſimè 3090. Paterculus lib. 1.

fiſſimè floruit. Cum enim fratri ſuo Polydectæ ſive Polibitæ Spartanorum regi ſucceſſiſſet: regnumque ſibi vendicare potuiſſet, Charilao fratris Poſthomo, cum ad ætatē adultam veniſſet, ſummâ fide reſtituit; ut intelligerent omnes, quanto plus apud bonos pietatis jura, quam omnes opes valerent. Medio igitur tempore dum infans convaleſceret, tutelamque ejus adminiſtraret, legos inſtituit; non earum exemplo minus, quam inventione clarus. Siquidem nihil lege ulla in alios ſanxit, cujus non ipſe prius in ſe documenta daret. Sed quia primò ſolutis antea moribus dura videbantur eſſe, autorem eorum Apollinem Delphicum finxit, & inde ſe ea ex præcepto numinis detuliſſe, ut conſueſcendi tædium metus religionis evinceret. Deinde ut æternitatem legibus ſuis daret, jurejurando obligat civitatem, nihil eos de legibus mutaturos priuſquam reverteretur; & ſimulat ſe ad oraculum Delphicum proficiſci, conſulturum quid addendum mutandumque legibus videretur. Proficiſcitur autem Cretam, ibique perpetuum exilium egit: abjicique in mare oſſa ſua moriens juſſit, ne relatis Lacedæmona ſolutos ſe Spartani religione

ne jurisiurandi in dissolvendis legibus arbitrarentur.

CAP. 27.

De Sardanapalo, & Carthagine.

POst regnum Semiramidis in Assyriâ, filius *Ninus* sive *Ninias* contentus elaborato à parentibus imperio, belli studia deposuit; & veluti sexum cum matre mutasset, rarò viris visus, in fœminarum turbâ consenuit: Posteri quoque ejus exempla secuti responsa gentibus per internuncios dabant. Postremus apud Assyrios regnavit SARDANAPALUS, vir muliere corruptior. Ad hunc videndum (quod nemini ante eum permissum fuerat) præfectus ipsius Medis præpositus nomine Arbactus sive Arbaces cum admitti magnâ ambitione ægrè obtinuisset, invenit eum inter scortorum greges purpuram colo nentem, & muliebri habitu, cum mollicie corporis, & oculorum lascivia omnes fœminas anteiret, pensa inter virgines partientem. Quibus visis, indignatus tali fœminæ tantum virorum subjectum, tractantique lanam ferrum & arma 2002. Justin. lib. 1.

ma portantes parere, progreſſus ad ſocios ſuos quid viderit refert. Negat ſe ei parere poſſe, qui ſe fœminam malit eſſe quam virum. Fit igitur conjuratio: bellum Sardanapalo infertur: quo ille audito, non ut vir defenſurus regnum, ſed ut metu mortis mulieres ſolent, primò latebras circumſpicit; mox deinde cum paucis & incompoſitis in bellum progreditur: victus in regiam ſe recepit, & extructâ pyrâ ſe & divitias in incendium mittit, hoc ſolo imitatus virum. Poſthæc diviſum eſt Aſſyriorum imperium: Arbaces Mediam
3148. & Perſiam tenuit; Phul Belochus Babyloniam & Niniven occupavit. Illis temporibus, annos ſeptuaginta duos
3168. antequam Roma conderetur, *Eliſa*,
Patercul. quæ a poetis *Dido* appellatur, crudelem fratris Pygmalionis Tyriorum regis avaritiam cum fugeret, CARTHAGINEM in *Africâ* minori collocavit, æmulam Poſtea Romani imperii civitatem.

CAP.

CAP. 28.

De Carano Macedonum Rege.

Macedonia autem nomine Emathionis Regis, cujus prima virturis experimenta in illis locis extant, Emathia primò cognominata est. Hujus sicuti incrementa modica, ita termini peranguſti fuerunt. Populus Pelasgi, & regio Bæotia dicebatur. Sed postea virtute regum, & gentis industriâ, subactis primo finitimis, mox populis nationibusque imperium usque ad extremos Orientis terminos prolatum est. Sed ante *Caranum* pauca admodum sunt quæ de hac regione memorantur. Is autem vir generis regii sextus decimus ab Hercule, profectus Argis cum magnâ multitudine Græcorum, sedes in Macedoniâ ex oraculi responso quæsitum venit. Illic urbem Edyssam, non sentientibus oppidanis propter imbrium & nebulæ magnitudinem, gregem caprarum imbrem fugientium secutus, occupavit: revocatusque in memoriam oraculi, quo jussus erat ducibus capris imperium quærere, regni sedem statuit; religioséque postea ob-

Justin. lib. 7.

3159.

obſervavit quocunque agmen moveret, ante ſigna eaſdem capras habere; cæptorum duces habiturus, quos regni habuerat autores. Urbem Edyſſam ob memoriam muneris Ægeam, populum Ægyades vocavit. Pulſis deinde multis regibus in locum omnium ſolus ſucceſſit. Primuſque adunatis gentibus variorum populorum, veluti unum corpus Macedoniæ fecit, creſcentique regno valida incrementorum fundamenta conſtituit.

CAP. 29.

De Olympico certamine, & Olympiadibus.

3169. ELapſi jam erant à mundo condito ter milleni & ducenti propè anni, quadringenti verò ab excidio Trojæ, cum *Iphitus* Eleus ad exercitandam Græciæ juventutem: ludicra illa certamina Jovi ſacra, cum mercatu, ad Olympiam Piſam Elidis civitatem inſtauravit; quæ *Olympia* ex nomine loci dicebantur. Nam fuerunt eadem in eodem loco ante bellum Trojanum, ſive ab Enomao, ſive ab Hercule poſt Augiam interfectum, ſive ab Atreo denique

nique cum Pelopi patri funebres ludos faceret, instituta; ubi (ut habet Paterculus) omnis generis certaminum Hercules victor extitit. Sed nunc demum cœperunt in quinti cujusque anni principio celebrari. unde Græci ex interposito quadriennii spatio, quod *Olympias* nominabatur, novam certamque postea numerandi annos rationem per Olympiadas inerunt. Quin & alia in aliis locis certamina Græci celebrabant; *Pythia* in Apollinis honorem; *Istmia* in Neptuni, vel potius Melicertæ seu Palæmonis; & *Nemæa* in Herculis vel Archemori (ut alii vulunt) seu Opheltis memoriam. De quibus Architæ poetæ hujusmodi est epigramma:

Τέσσαρές εἰσιν ἀγῶνες ἀν' ἑλλάδα,
τέσσαρες ἱροὶ.
Ὁι δύο μετα θνητῶν, ὁι δύο δ' Ἀ-
θανάτων.
Ζηνὸς, Αητοίδιαο, Παλαίμενος,
Ἀρχεμέροιο.
Ἄθλα δὲ τῶν Κότινος, μῆλα, σέλινα,
πίτυς.

Sed Olympia ex his maximâ totius Græciæ celebritate instituebantur; ubi quinto

quinto die qui victor sive Olympionices renunciatus est, oleastro coronatus in patriam non per urbis portas, sed per ruinas murorum, sublimis in curru quasi triumphans redlit.

CAP. 30.

De Romulo & Româ.

3178. IN Latio post *Julum* sive *Ascanium*, aliosque duodecim reges, *Amulius* tandem fratre pulso *Numitore* grandiore natu regno potitus est; qui ut omnem fratri vindictæ spem tolleret, filium ejus Lausum in venatione sustulit; filiamque Rheam Sylviam sive Iliam Vestæ sacerdotem elegit, ut hâc specie honoris ad perpetuam damnaret virginitatem. Sed ea tamen clausa in luco Marti sacro, duos pueros ex Marte (ut creditum est) vel stupro potius conceptos enixa est, ROMVLVM & *Remum*: qui regis imperio in profluentem Tyberis abjecti, fælicitèr conservati, a lupâ nutriti, à Faustulo regis pastore educati, ab avo tandem agniti, cum pastorum manu *Amulium* deturbant de solio, reponunt Numitorem, novam denique urbem, in quo antea

tea paſtores egerant Palatino monte, moliuntur.

Gemini erant; uter auſpicaretur & regeret, adhibere placuit deos. Remus montem *Aventinum*, Romulus Palatinum occupavit: Prior ille ſex vultures; hic poſtea, ſed duodecim vidit. Sic victor augurio Anno Mundi 3220, Olympiadis ſeptimæ primo, urbis ROMÆ fundamenta collocavit. Cujus munitionem Remus frater in tumultu occiſus, dum utrique de auſpiciis ſuis contenderent, ſanguine ſuo conſecravit. L. Flori. Hiſt. & cap. 1.

CAP. 31.

De Aſylo, Raptu virginum, & bello Sabino.

IMaginem urbis magis quam urbem fecerat; Incolæ deerant. In proximo luco *Aſylum* aperit; quo ſtatim mira vis hominum confluxerat. Sed res erat unius ætatis, populus virorum. Itaque matrimonia à finitimis petita, quia non impetrabantur, manu capta ſunt. Simularis quippe ludis equeſtribus (*Conſualia* vocabant) virgines quæ ad ſpectaculum venerant ſeptingentæ cir- Flori cap. 1.

circitèr præda fuere. Et hæc ſtatim cauſa bellorum. Pulſi fugatique Vejentes. Cænienſium captum ac dirutum eſt oppidum. *Spolia* inſuper *optima* de rege Acrone Feretrio Jovi manibus ſuis rex reportavit. Sabinis arx in monte Saturnio prodita, per *Tarpejam* virginem Præfecti filiam; quæ pretium rei quam gerebant in ſiniſtris petierat, dubium armillas ut ſe ditaret, an clypeos ut exarmaret hoſtes. Illi ut & fidem ſolverentur, & ulciſcerentur clypeis obruere. Ita admiſſis ad mænia hoſtibus atrox in ipſo aditu pugna; adeo ut Romulus Jovem oraret, ut fœdam ſuorum fugam ſiſteret. Hic templum eſt & *Stator* Jupiter. Tandem ſævientibus intervenere raptæ, laceris comis: ſic pax facta, fœduſque percuſſum his conditionibus, ut *T. Tatius* Sabinorum dux in ſocietatem regni reciperetur; deinde quemadmodum urbs à Romulo Roma, ſic populus à *Curibus* Tatii patria QVIRITES vocarentur; denique ut mulieres quæ vellent cum ſuis maritis vivere, liberæ ab omni opere & miniſterio præter Lanificium haberentur.

CAP.

CAP. 32.

De Tribubus, Curiis, Legionibus, Senatu, &c.

AVctis hoc modo viribus, hunc ſapiens rex ſtatum reipublicæ impoſuit; ut omnis multitudo in partes tres divideretur, quas inde appellavit *Tribus*, primam ſcilicet *Ramnenſem* à Romulo dictam, ex Albanis; alteram *Tatienſem* ex Tatii Sabinis conſtantem; tertiam *Lucerum*, ex iis credo qui ad Aſylum in luco confugerunt. Singulæ deinde tribus in decem *Curias* diſtributæ. Ex omnibus autem qui erant ætate validâ in *Legiones* deſcripti; quæ primò quidem ſingulæ tria peditum millia, equitum Centurias tres complectebantur; poſteà verò quatuor millia, & aliquando plura. Numerus enim pro uſu reipublicæ, & ſenatûs arbitrio variatus eſt. Singulorum millium in legione duces *Tribuni*, centuriarum vero *Centuriones* dicti. Conſilium reipublicæ penes ſenes erat centum, qui ex autoritate *Patres*, ex ætate *Senatus* vocabantur. Horum liberi *Patricii*. Qui deinde huic ſenatorum

torum numero additi sunt, *Patres conscripti*; reliqua multitudo *Populus*, populi pars melior qui equis merebantur in bello *Equites*, inferior sed major *Plebs* dicebatur.

CAP. 33.

De Patronis & Clientibus, Autoritate Regis, Senatus, Populi.

UT essent mutua quædam inter patres & populum benevolentiæ vincula, Patres *Patronos*, populum *Clientes* esse voluit. Habebant utrique sua jura: Patroni juris interpretes, & consiliarii clientum, seu præsentium seu absentium curam gerere, causam defendere, salutem & quietem procurare; clientes patronos suos colere & demereri, tum in elocandis filiabus, in exolvendis debitis si pauperes essent, adjuvare, &c. Neutri alterum accusare, vel testimonium suffragiumve contra alterum ferre, aut censeri inter inimicos fas. Quorũ si quis clientũm convictus esset, *Lege* Romuli *de proditoribus* tenebatur; & cuivis tanquam Diti sacrum interficere licebat. *Rex* ipse sacrificiis, & templis,

&

& omni cultui deorum, & legibus, & moribus, & bello præerat; magnarum cauſarum judex, minorum ſenatus. Præterea, ſenatum cogere, populum in concionem convocare, primus ſententiam dicere, quod pluribus placuit ratum habere rex debuit. *Senatus* de quibus à rege ad ipſum referebatur calculum ferre; ita ut ſemper obtineret plurimum ſententia. *Plebs* magiſtratus creare, leges ſancire, de bello referente rege decernere, ita tamen ut ſenatus in his accederet autoritas. Ferebat autem ſuffragium non univerſus populus, ſed per curias; & quicquid viſum fuiſſet pluribus curiis, ad ſenatum referebatur. Qui mos poſtea mutatus: non enim ſenatus plebiſcita, ſed plebs Senatuſconſulta comprobavit.

CAP. 34.

De Inſignibus & Satellitio Regis.

AD augendam regiæ majeſtatis venerationem, veſte purpureâ, *Curuli Sellâ* uſus eſt. *Tribunal* ſibi in loco fori maximè conſpicuo & eminenti, ut jura daret, collocavit. Duodecem *Lictores* à ligandis hominibus

bus appellatos legit, qui præcedebant regi baculis ſummouentes vulgum, locis accincti, ut quos juberet rex continuò comprehenſos vincirent. Præferebant etiam faſces & ſecures, hoc eſt, faſciculos virgarum intra quos erat obligata ſecuris, ita ut ferrum in ſummo faſce extaret; ut criminum leviorum damnatos virgis in foro cæderent, graviorum ſecuri percuterent. Quin & Equites 300 conſtituit regii corporis cuſtodes, ſingulis curiis 10, quos à celeritate, id eſt, promptitudine, vel à *Celere* quodam primo ipſorum duce, *Celeres* appellavit, ducemque tribunum Celerum; cujus erat ſecundus poſt regem locus.

CAP. 35.

De Religione Romanorum, & Sacerdotibus.

AVctâ & ordinata republica, ſupererat cultus deorum, quem ſic inſtituit. *Templa* & *aras*, *ſtatuas*, *feſta*, *ſacrificia*, tum rationes *induciarum*, celebritatum, intermittendorum laborum, cæteraque hujuſmodi omnia ſecundum ritus Græcorum diſpoſuit. *Augures* etiam tres ex tribus tribu-

tribubus, qui auſpiciorum diſciplinam, cujus ipſe Romulus peritiſſimus erat, curarent. *Aruſpices* octo, qui cæſorum animalium exta conſulerent. *Fratres* quoque *Arvales* duodecem, qui pro arvorum frugibus ſacra facerent. Horum ipſe Romulus duodecimus fuit, cum reliquis undecim Accæ Laurentiæ nutricis ſuæ filiis, ejus loco qui jam mortuus erat. Tum ſacra ſua cuique Curiæ partitus eſt, aſſignatis diis quos ſingulæ colerent. *Curiones* autem, id eſt, ſacerdotes ſive flamines Curiales ſexaginta, bini ex ſingulis curiis, annum egreſſi quinquageſimum, qui virtute & genere præcellerent cæteros, cenſumque ſufficientem haberent, & integro eſſent corpore, inſtituti ſunt. Eligi à ſuis curiis, ab Auguribus electio comprobari debuit. Sumptus in hæc ſacra Curionia ex ærario publico atribuit rex; Epulumque feſtis diebus in domo Curiali poſt perfecta ſacra Curialibus præbebatur. Curionibus qui præerat *Curio maximus* appellabatur. *Flamines* demum inſtituit, *Dialem* Jovi, *Martialem* Marti; à flama capitis ornamento ſic dictos, coronæ ſpeciem referente. Dialis qui maximus erat albo galero utebatur. Recepta ſunt etiam à

sacra *Lupercalia* græcè *Lycæa* dicta, quæ primus Evander ex Arcadiâ in Latium tulit, & instituisse fertur, ut nudi juvenes Lycæum Pana venerantes (quem Romani vocant Junum) per lusum atque lasciviam currerent.

CAP. 36.

De Anno Romano, &c. & Romuli morte.

TEmpora digeret cum conditor urbis, in anno
Constituit menses quinque bis esse suo.
Martis erat primus mensis, Veneriscque secundus;
Hæc generis princeps, ipsius ille pater.
Tertius à senibus, juvenum de nomine quartus:
Quæ sequitur numero turba notata fuit.

Artes sordidas & sellularias servis & exteris exercendas tradidit; longoque tempore pudori fuerunt hæc opera. Civibus rei rusticæ tantum & militaris studia proposuit; ut bello pugnarent, pace rus colerent; quando mercatu

catu opus, in urbem convenirent, versarentur in foro, nonâ quâque die assignatâ nundjnis. His ita ordinatis, repentè cum concionem haberet ante urbem apud Capræ paludem, è conspectu ablatus est, anno ætatis 55, regni autem 37. Discerptum aliqui à senatu putant ob asperius ingenium. Sed obortа tempestas, solisque defectio, consecrationis speciem præbuere; cui mox Julius Proculus fidem fecit; visum à se Romulum affirmans angustiori formâ quam fuisset, mandare præterea ut se pro numine acciperent; *Quirinum* in cœlo vocari placitum diis; ita gentium imperio Roma potiretur. 3256.

CAP. 37.

De Bello Messenio, Partheniis, Regni Israelitici excidio, & clade Sennacherib Regis Assyrii.

DUm hæc Romæ agerentur, in Græciâ Lacedæmonii contra *Messenios* ejusdem Peloponesi populum & urbem gerebant bellum; quo tandem victores duce Tyrtæo quodam, *Athenien*siũ poeta sed claudo, evaserunt. Tum credo *Partheniorum* 3229. 3248.

nomen ortum, qui *Phalanti* auſpiciis, ob pudorem originis, & inopiæ metum,
3232. relictâ Lacedæmone *Tarentum* in Italiâ occupârunt. In regno autem *Iſraelitico* à rege *Aſſyriorum* *Salmanaſſere* capta Samaria, populuſque omnis decem tribuum cum Oſea rege, in Aſſyrios ad ſervitutem eſt abductus. Tum primùm ea cæpit, quæ diu poſtea in iis locis obtinuit, mixta Samaritanorum religio.
3240. Poſt annos octo *Sennacherib* alter *Aſſyriorum* rex Hieroſolymas obſidet; ubi *Ezechiæ* pii regis precibus effectum eſt, ut meritas impietatis & ſuperbiæ ſuæ pœnas dederit; amiſſis unâ nocte centum octoginta quinque ſuorum millibus. Ipſe fugâ elapſus, domi à filiis interficitur.

CAP. 38.

De Numa Pompilio.

3258. ROmulo ſine liberis ſublato, cum Romani veteres & Sabini de novo rege certarent, ne nullum eſſet imperium, patres ipſi per decurias imperabant. Vnus cum inſignibus imperii & Lictoribus erat, ſex horas diei & ſex noctis. Quinque dierum ſpatio fini-

finiebatur imperium; ac per omnes in orbem ibat; annuumque intervallum regni fuit. Id ab re, quod postea tenuit nomen, *Interregnum* appellatum. Tandem fremente plebe, & multiplicatam servitutem conquerente, electus est rex 3258.
NVMA POMPILIVS; quem Curibus Sabinis agentem vltrò petivere, ob inclytam viri religionem. Ille *Pontifices* quatuor è Patribus, qui sacerdotibus, omnique deorum cultui, & his vnum qui Præesset *Pontificem Maximũ* instituit. Ille *Salios* duodecem Marti Gradivo legit, quorum primus *Præsul* vocabatur: Flaminibusque Diali & Marriali, *Quirinalem* Quirino seu Romulo addidit. Ille annum in *duodecem Menses*, Ianuario & Februario præpositis; & menses singulos per *Calendas*, *Nonas*, & *Idus*, dieisque *fastos* & *nefastos* descripsit. Ille *Ancilia* denique & *Palladium*, secreta quædam imperii pignora, *Ianumque* geminum, fidem pacis & belli ordinavit, imprimis focum *Vestæ virginibus* colendum dedit. Hæc omnia quasi monitu deæ Egeriæ, quò magis Barbari acciperent. Eo denique ferocem populum redegit, vt quod vi & iniuriâ occupaverat imperium, religione & iustitiâ gubernaret.

CAP. 39.

De Tullo Hoſtilio, & Anco Martio.

EXcipit Numam Pompilium, poſt annos regni 43 ſenio morboque placidè ſolutum, TVLLVS HOSTILIVS; cui in honorem virtutis regnum vltrò datum. Hic
3310. omnem militarem diſciplinam, artemq; bellandi condidit. Bellum Albanum trigeminorum fratrum ex vtrâq; parte *Horatiorum* & *Curiatiorum* certamine finivit. *Albam* propter perfidiam ducis *Metii Suffetii* diruit; populumq; Romam tranſire juſſit. Montem *Cœlium* vrbi addidit in quo Curiam conſtituit Hoſtiliam. Cum annos 34 imperâſſet, fulmine ictus cum regiâ conflagravit,
3333. Numæque ex filiâ nepotem pari ingenio ANCVM MARTIVM habuit ſucceſſorem. Hic 24 quibus regnavit annis, Latinos bello domuit, *Aventinum* & *Ianiculum* montes vrbi adjunxit, Tiberimque interfluentem ſublicio ponte commiſit; Nova mænia oppido circumdedit: Oſtiam colonium maritimis commeatibus opportunam, in oſtio Tiberis deduxit. Quâ morte interierit

terierit incertum eſt, immaturâ quidem conſtat.

CAP. 40.

De Tarquinio Priſco, & Servio Tullio.

D*Emaratus* quidam Corinthius cum tyrannidē Cypzelli fugeret, Tarquinios in Hetruriâ commigravit; cujus *Lucumo* filius inde Romam petiit. Advenienti aquila pileū ſuſtulit, & cum altè ſubvoſâſſet, repoſuit. Tanaquil conjux auguriorū perita, regnum ei portendi intellexit. Itaque LVCIVS TARQVINIVS Romæ dictus, 1357. pecuniâ & induſtriâ dignitatem ſenatoriam, atque etiam Anci regis familiaritatē conſequutus eſt; à quo Tutor liberis relictus, regnum intercepit; ſed ita adminiſtravit, quaſi jure adeptus fuiſſet. Centum patres in Curiam elegit, qui minorum gentium ſunt appellati. Equitum centurias numero duplicavit; nomina mutare non potuit, Accij Navij auguris autoritate deterritus; qui fidem arti ſuæ novaculâ & cote firmavit. Latinos, Sabinos, & Hetruſcos frequentibus prælijs ſubegit; primuſque triumphum

phum aurato curru, quatuor equis inſtituit; annuloſque phaleras, trabeas, paludamenta, ſagas, prætextam, togas pictas, tunicaſque palmatas, & reliqua fere omnia Romani imperii decora & inſignia. Poſt, ab Anci liberis immiſſis percuſſoribus interfectus eſt, anno regni 38. ætatis vero ſuæ 81. SERVIVS
3392. TVLLIVS adnitente reginâ ſubſtitutus in locū regis quaſi ad tempus, (regnum dolo partum) per annos 44. oprimè adminiſtravit. Nec obſcuritas inhibuit, quā vis matre ſervâ creatum. Nam ob eximiam indolem, vxor Tarquinii Tanaquil liberalitèr educaverat; & clarum fore viſa circa caput flāma promiſerat. Ab hoc populus in quatuor tribus, in claſſes 6 diſtributus, primumque relatus eſt in Cenſum; unde à tuendo vectigalia quinto quoque anno *Luſtrum*. Æs nota pecudum ſignavit, (vnde *pecunia*) quo rudi antea & appenſo vtebantur. Hetruſcos bello fregit; collem denique *Quirinalem*, *Viminalem*, & *Exquilias* vrbi addidit.

CAP.

CAP. 41.

De Iudæis in Babyloniâ exulantibus, & de Legibus Solonis.

INterea NABVCODONOSOR Assyriorum rex Iudæam sibi vectigalem fecit.*a* Deinde *Iehoiachimb* regem, filiumque ejus post tres menses *Iechoniam*, vnà cum præcipuis viris & artificibus, non tantum vrbis Hierosolymæ, sed totius regionis captivos adduxit Babylonem. Anno autem 19 sui regni, *c* Hierosolymam obsessam biennio cepit, diripuit, incendit. *Zedechiam* regem oculis, filios ejus atque proceres vitâ privavit; & potissimam populi partem captivam in Babyloniã transtulit: vbi (quod IEREMIAS propheta prædixerat) annos 70 exulurunt. Quo tempore SOLON justissimus prudentissimusque vir, leges novas Athenienſibus tulit; cum, quas antea *Draco* scripserat, severæ nimis & sanguine potiusquam atramento scriptæ viderentur. Tanto autem temperamento inter plebem senatumque egit, (cum si quid pro altero ordine tulisset, alteri displiciturum videretur) vt ab vtrisque parẽ gratiam referret. 3351. 3354. 3365. 3378 3348.

CAP.

CAP. 42.

De septem sapientibus Græciæ, Pythagorâ & aliis.

3400. ERat SOLON ex iis septem vnus quos Græci σοφὸς, id est, *sapientes* nominabant: Alij vero sex THALES Milesius, CHILO Lacedæmonius, PITTACVS Mitylenæus, CLEOBVLVS Lindius, BIAS Prienensis, PERIANDER Corinthius; inter quos pulcra admodum fuisse traditur & modesta de tripode contentio. Floruerunt eodem seculo primò PYTHAGORAS Samius PHILOSOPHIÆ non solum nominis inventor, sed rerum ipsarum amplificator maximus, & *Secta Italicæ* princeps, quemadmodum *Ionicæ Thales*. Hic autem in naturâ rerum, ille in numeris præcipuè versatus, vterque ab Ægyptiis sacerdotibus scientiam, *Ægyptii* verò à Iosepho, Abrahamo & Chaldæis ad suos transtulerunt. Deinde *Phocylides* poeta Milesius, *Anacreon* Lyricus, *Arion* musicus, *Stesichorus*. *Anacharsis Scytha*, *Thespis Tragœdiarum*, *Æsopus Phryx facetissimus* ille fabularum autor, & *Phalaris Agrigentinorum Tyrannus* ingeniosissime crudelis.

CAP.

CAP 43.

De Piſiſtrato Athenienſi.

POſt datas à Solone leges Athenis, Piſiſtratus nobilis vir, Sed nimium popularis, Tyrannidem per dolum occupat. Quippe vulneribus voluntariis domi affectus, laceratoque corpore, in publicum progreditur, & advocatâ concione vulnera populo oſtendit, de Crudelitate principum, a quibus hoc ſe paſſum ſimulabat, queritur; adduntur vocibus lacrymæ, & invidiosâ oratione multitudo credula incenditur. Amore plebis inviſum ſe ſenatui affirmat: obtinet ad Cuſtodiam Corporis ſui Satellitum auxilium; per quos arcem Athenis regnumque invadit, quod & filii ejus poſtea *Hipparchus*, eoque interfecto *Hippias* obtinuerunt. 3419.

CAP. 44.

De Cyro; Cambyſe; & Magis.

INterim in *Aſia Cyrus Perſarum* rex, directo *Cræſo Lydorum* opulentiſſimo rege, occiſo *Balthaſare* 3425.

3431. *fere* Babyloniorum imperatorum imperatore captaque urbe, Assyrium subvertit imperium, & Persicum primus constituit; simulque Judæos in Chaldæâ jam diu exulantes restituit in patriam. Anno autem regni 300, sive à Thomyre reginâ Scytharum victus, sive morbo domi consumptus, interiit. Suc-
3443. cessit filius CAMBYSES; qui cum imperio patris Ægyptum adjecisset, Deorum Ægyptiorum ædes diruisset, fratrem suum Mergiden sive Smerdin somnio exterritus interfici curâsset, gladio suâ sponte evaginato in femore graviter vulneratus occubuit. Vnus è *Magis*, quorum illâ ætate maxima erat apud Persas, & inprimuis Cambysen autoritas, per dolum in imperio substitutus est.

CAP. 45.

De Tarquinio Superbo Romanorum Rege ultimo.

POstremus Romanorum regum fuit TARQVINIVS cui cognomen SVPERBO ex moribus datum. Hic regnum avitum quod à Ser-
3438. vio tenebatur, rapere maluit, quam expectare,

pectare; immiſſiſque in eum percuſſoribus, ſcelere partam poteſtatem non melius egit, quam acquiſierat. Nec abhorrebat moribus uxor *Tullia*: quæ ut virum regem ſalutaret, ſuper cruentum patrem vecta carpenta conſternatos equos egit.

Certa fides facti, Vicus ſceleratus ab illa Dictus, & æternâ res ea preſſa notâ eſt.

Sed tamen ſtrenus bello, imperium auxit; Cloacam maximam, ſive *foſſas Quiritum* fecit. Dum templum Jovis in Tarpeio monte moliretur, in fundamentis caput humanum, *Toli* cujuſdam, ut ferunt, in ventum eſt: unde & nomen loco, & urbi omen, caput eam aliquando gentium futuram.

CAP. 46.

De Magis in Perſiâ cæſis, & Dario; de Hippiâ pulſo Athenis.

EOdem fere tempore, & Perſia Magos, & Roma Tarquinios, & Athenis Piſiſtratidas expulerunt. Magos enim, fraude cognitâ, ſeptem Principes imperii Perſici conjuratione factâ cædunt univerſos. DARIUM filium *Hidaſpis* ex ipſis unum, ſed Equi (ut 3451.

conve-

convenerat) hinnitu prælatum, Regem
salutant: Quo imperante *Templum* se-
cundum Hierosolymis, autore ZO-
RUBBABELO extructum, & Ba-
3462, bylon quæ à Persis jam defecerat, præ-
3460. clarâ Zopiri operâ recepta est. Athe-
nis autem *Hippias* Rex Pisistrati filius
& Regno & urbe in exilium cedere co-
actus est; idque ope Lacedæmonio-
rum, quibus Pythia ab exulibus Athe-
nienſium diversæ factionis (*Alemæoni-
das* appellabant) præmiis corrupta, id
negotii mandaverat, ut Tyrannis Athe-
nas liberarent. Itaque ad Darium con-
fugiens, ex Scythiâ jam trepide refu-
gienti, inferentique Athenienſibus bel-
lum, ducem se adversus patriam suam
obtulit. Sed Athenienſium decem mil-
lia duce MILTIADE sexcenta ho-
stium profligarunt. Hæc est illa *Pugna
Marathonia*, scriptis Græcorum celebra-
3480. ta; ubi ejus belli concitator Hippias ce-
cidit, *Cynægiri* autem fortitudo, &
THEMISTOCLIS adolescentis
gloria emicuit: cui tamen somnos *Mili-
tiadis Tropæum* excussisse memoratur.

CAP.

CAP. 47.

De Tarquiniis Româ pulsis, & mutatione Reipublicæ.

TArquinius jam Romanorum Rex Ardeam obsidebat, cum Sextus alter è filiis ejus *Lucretiæ* ornatissimæ fœminæ stuprum intulit: quod dedecus matrona ferro expiavit, JUNIOQUE BRUTO & *Tarquinio Collatino* conjugi moriens sui mandavit ultionem. His itaque ducibus Romani Regem repente destituunt, bona diripiunt, agrum Marti suo consecrant, imperium denique in eosdem libertatis suæ vindices transferunt; sic tamen ut ex perpetuo annum fieret, ex singulari duplex, ne potestas solitudine vel mora corrumperetur. *Consules* deinde appellati sunt pro Regibus, ut consulere se civibus suis debere meminissent. BRUTUS cum filios suos studere revocandis in urbem Regibus comperisset, virgis cæsos securi percussit. Idem suis cognatis fieri cum prohiberet Collatinus abrogatis fascibus urbe dimissus est: Valeriusque (vere dictus) POPLICOLA substitutus. Hic provocationis

2498. Feb. 24. Regifugium.

nis ad populum Jus adverſus ſe dedit; ædeſque ſuas eminentes, ne ſpecie arcis offenderent, in plana ſubmiſit. Neque vero Tarquinii omnem continuo recuperandi regni ſpem abiecerunt. Auxilium à Vicinis petunt, impetrant. De Veientibus & Tarquinienſibus à Conſule Poplicola triumphatum eſt: BRUTO & Arunte altero Superbi filio mutuâ vi occiſis in prælio. Mortui conſulis corpus in foro poſitum, à Collegâ laudatum, matronæ anno luxerunt. *Porſenna* Rex Etruſcorum quamvis & armis & fame urgeret, tamen *Horatius Cocles*, *Mutius Scævola*, & *Cælia* Virgo tantâ admiratione perculerunt, ut ſuperior ultro cum pæne victis amicitiæ fœdera feriret. Denique, 30 ſimul Latinorum populi cum Mamilio Tuſculano & Sexto Tarquinio ducibus ab *Aulo Poſthumio* Regillenſi Dictatore cæſi ſunt. DICTATOR autem in rebus trepidis ex Senatuſconſulto ab altero Conſule nocte dicebatur, qui cum ſummâ poteſtate & ſine provocatione Reipublicæ præeſſet ſex menſium ſpatio. Cæteri magiſtratus abdicabant, parebant Dictatori, cui proximo loco ſuberat *Magiſter Equitum*. Superbus ipſe paulò poſt Cumis mortuus, Romanos certos libertatis & ſecuros reddidit. Sup-

Supputatio Romanorum.

Uncia:	Prima pars assis.
Sextans:	Sexta pars assis, 2 unciæ.
Quadrans:	Unciæ tres.
Triens:	Tertia pars assis, unciæ 4.
Quincunx:	Quinque unciæ.
Semis:	Id est Semias.
Septunx:	Unciæ septem.
Bes:	Unciæ octo.
Dodrans:	Unciæ novem.
Dextans:	Unciæ decem.
Deunx:	Unciæ undecem.
As, sive Assis:	12 uncias continebat.

Sestertius quasi semis tertius, duos asses, & semissem valebat: Id est, Denarius sterling.

Quinarius dimidium denarii æreos 5 valebat: Semigrossus: Denarius dictus est, quia denos æreos asses valeret; Grossus. Libra seu pondus 100 denarios 200 quinarios &c. continebat. Libræ 2 sterling.

Sestertium *LLS* sestertios 1000 libras 2 & semissem capiebat: libræ 55 Sterling.

Aureus { prior denarios 25 / posterior denar: 162 } valebat. { nobiles / angeli. }

Libra auri aureos { priores 48, posteriores 72, solidos, sive sextulos } continebat.

Supputatio Græcorum.

Drachma denarium Romanu m valebat, & in 6 obolos, in Trientes & Quadrantes dividebatur. Sesquiobolus idem valebat quod sestertius. Mina valebat, & continebat 100 drachmas. Talentum Atticum 60 Libras, vel minas valuit.

Antiquæ Notæ.

I	1	Unus.
X	10	Decem.
V	5	Quinque.
C	100	Centum.
IↃ	500	Quingenta.
CIↃ	1000	Mille.
IↃↃ	5000	Quinque millia.
CCIↃↃ	10000	Decem millia.
IↃↃↃ	50000	Quinquaginta millia.
CCCIↃↃↃ	100000	Centum millia.
IↃↃↃↃ	500000	Quingenta millia.
CCCCIↃↃↃↃ	1000000	Decies centena millia.

Dardanon

Dardanon Electa quis neſcit Atlantide natum.
Scilicet Electram concubuiſſe Jovi?
Hujus Erichthonius: Tros eſt generatus ab illo;
Aſſaracum creat hic, Aſſaracuſque Capin.
Proximus Anchiſes cum quo commune parentis
Non dedignata eſt nomen habere Venus.
Hinc ſatus Æneas, pietas ſpectata per ignes,
Sacra patremque humeris altera ſacra tulit.
Venimus ad felix aliquando nomen Juli,
Vnde domus Teucros Julia tangit avos.
Poſthumus hinc; qui, quod Sylvis eſt natus in altis,
Sylvius in Latiâ gente vocatus erat.
Iſque Latine, tibi pater eſt; ſubit Alba Latinum;
Proximus eſt titulis Epitus, Alba, tuis.
Ille dedit captæ repetita vocabula Troiæ,
Et tuus eſt idem Calpete factus avus.
Cumque patris regnum poſt hunc Teberinus haberet,
Dicitur in Tuſcæ gurgite merſus aquæ.
Jam tamen Agrippam natum, Remulumque nepotem
Viderat,

Viderat, in Remulum fulmina missa ferunt.
Venit Aventinus post hos locus unde vocatur,
Mons quoque post illum tradita regna Procæ.
Quem sequitur duri Numitor germanus Amuli;
Ilia cum Lauso de Numitore sati.
Ense cadit patrui Lausus, placet Ilia Marti,
Teque parit gemino juncte, Quirine, Remo.

FINIS.

DE QUALITATE ET Indole præcipuorum in Orbe Locorum.

EUROPA.

EUROPÆVS Orbis aëre, cœloque, ut plurimum, maxime temperato fruitur, quo fit, ut ubique ſuis non careat incolis, niſi quod loca, nimio frigore & gelu rigentia, parum culta reperiantur. Cæterum in aliis tanta ſoli fertilitas, tanta frugum, arborum, plantarum, metallorum, omnis generis animalium, aliarumque rerum copia reperitur, ut nullibi locorum majorem rerum affluentiam ſpectare liceat.

BRITANNIA.

BRitanniam omnibus cœli & ſoli bonis natura donavit, in qua nec rigor eſt nimius hyemis, nec ardor æſtatis: in qua ſegetum tanta

fœcunditas, ut muneribus utriusque Cereris & Liberi abundet. In qua nemora sine immanibus bestiis, terra sine serpentibus noxiis, contra pecorum mitium innumerabilis, lacte distenta, & onusta velleribus multitudo reperitur: certe quod propter vitam diligitur, longissimæ dies, & nullæ sine aliqua luce noctes dum illa litorum extrema planities non attolli umbras, noctisque metam cœli & syderum aspectus transit, ut Sol ipse, qui nobis videtur occidere, ibi appareat præterire.

HIBERNIA.

HVjus Insulæ aër est saluberrimus, cœlum mite, clemens, blandum, nam neque nimium calente sole ad opaca umbrarum incolæ, neque nimio intensoque frigore ad focos compelluntur; semina tamen propter humidum Autumnum rarius matureſcunt: qua propter Mela scribit quod cœlum maturandis seminibus iniquum habeatur. Salubritate vero & serenitate aëris multum Britannia præstat. Stabulis & fœnisecio, incolæ opus non habent. Hic terra motus nunquam, vix semel in anno tonnitru audies. Regionem

nem præpinguis gleba, frugumque felix commendat proventus, pascuis tamen magis quam frugibus, gramine quam grano fœcundiorem invenies. Ventis adhæc nimium pervia, adeo vero luxuriat hæc Regio dulcibus herbis, ut, teste Mela, pecora exigua diei parte sic se iis impleant, ut à pastu repelli debeant, ne satietas perimat. Hinc pecorum ingens ibi est multitudo, præcipuæ incolarum opes, ovium plurimi greges, equi optimi, nulla inveniuntur reptillia, falconum, accipitrum, multitudo est. ciconiæ ratissimæ sunt, & illæ nigræ, in boreali plaga cygnis abundant. Desunt contra perdices, phasiani, picæ, philomelæ: apum examina magna reperies. Aves ex lignis vel arboribus generantur, ut & in Scotia; eas *Bernickles* vocant. Ferarum hic pariter multitudo ingens est, ut cervorum, aprorum, leporum. Caret vero capris, damis ilupos & vulpes habet, est & taxus, mustella, ut murium proliferum genus.

VLTONIA.

HÆC Regio ampla, alicubi ferax, alicubi macra, viriditate tamen ad aſpectum ubique jucunda, & pecoribus refertiſſima eſt.

SCOTIA.

TAntum hic creſcit frumenti, quantum incolis ſatis eſt. Terra magna ex parte ſulphurea eſt, & viſcoſa, ideoque deficientibus lignis pabulum pro ignis alimento uſurpant. Præbet etiam terra varia metalla, ut aurum, argentum, ferrum, argentum vivum, plumbum, cuprum, gemmas, præſertim gagatem, qui in aquis ardet, & oleo extinguitur. Paſcua hic ſunt optima, carnis, lactis, butyri, caſei, lanæ copia affluens.

ORCADES.

HIC frugum proventus eſt exiguus, præter avenam & hordeum, ex quibus & panis & vinum eis ſuppetunt. Propter gregum multitudinem, ut ovium, boum, caprarum

prarum, multum caſei, lactis & butyri habent: aves marinæ innumeræ, qui incolis victum ſicut etiam piſces præbent. Nullum ibi venenatum animal, nec aſpectu fœdum, nulla ſilva quam arbor, ac ne frutex quidem præter erricam, idque non tam quam ſoli vitio & incolentium via.

ANGLIA.

Aër hic quocunque anni tempore temperatus, ac clemens eſt, cœlum craſſum quo facile nubes, imbres, ventique coguntur atque eo minus frigori æſtuique propter ipſius cœli denſitatem obnoxium. Habet ſolum omni frugum genere ita beatum, ut Angliam Cereris ſedem eſſe dixeris; abies ibi nulla, roſmarinus tam eſt copioſus, ut eo etiam ad ſepes utantur. Vinum non habet, quod hic vitis raro matureſcat, quare in hortis magis umbræ gratiam, quam fructuum uſum præſtat. Ferax eſt auri, argenti, cupri; ferri exiguam habet copiam, plumbum nigrum & album in magna effoditur copia, in rupe S. Vincentii, imminente fluvio Avonæ, magna eruitur adamantum.

antum abundantia, qui quidem endore Indicos provocant duritie men illis cedunt. Colles hic ſunt plu-i, in quibus ovium greges oberrant, tantum carnium ſed etiam velle-renuitate præſtantes; nam & in s vix arbores apparent. Regio pis immunis eſt, qui eſſe deſi-eo tempore, quo Edgarus nduallo Walliæ Principi trecen-lupos in ſingulos annos vectigalis nomine perſolvendos imperavit. Nam poſtquam hoc tribus feciſſet annis, quarto nullum invenire potuit lupum. Abundat etiam Regio pecudum omni genere, exceptis camelis, mulis, aſinis, elephantis. Moloſſi nullibi terrarum præſtantiores ſævioreſque ſunt, innumera adhæc ibi cornicum multitudo, genus avium agricolis quia infeſtum, ideo exoſum: quod roſtris ſparſum evellant ſemen. Notabilia Angliæ hic expreſſit verſiculus;

Mons, pons, fons, Eccleſia, fœmina, lana.

WALLIA.

TErra hæc eſt omnis montoſa, aſpera, clivoſa, niſi quod ibi, quà mari vicina eſt, ſolum fœcundius habeat.

CORN-

CORNWALLIA.

HÆC Regio gleba ſatis fertili, ac metallorum divite vena abundat, ſtannum, aurum, & argentum producit, adamanteſque ab ipſa natura in angulos efformatos: Eringium vero lætiſſimo proventu per littora paſſim reperitur, frugum quoque dives eſt.

WEST MORLANDIA.

HOrdei & tritici ferax eſt, ad montium radices avenæ fertilior, ubique ſolo tollerabili, niſi uliginoſis quibuſdam & minus ſalubribus locis: boves alit proceris cornibus, & corpore pingues.

NORTHVMBRIA.

HÆC ſatis colonis quæſtuoſa foret, ſi mediocris culturæ labor in ſubſidium adhiberetur nunc horrida paſſim eſt, plurimiſque in locis lapides effodiuntur *Lithanthraces* dicti.

WOGDLANIA.

HÆC tota nemoribus occupata, nec tamen sine pascuis, arvis, & variis ferri venis reperitur.

INVNDATA REGIO THE FENNS.

OLim hæc terra omnino sicca & fertilis fuit, uti patet ex historia quam de illa conscripsit Willamus sive Malmes Burrius qui vixit circa Ann. Christi clo CC. Narrat enim hanc Regionem suo tempore non absimilem Paradiso fuisse, & alicui cœlo pulchritudine & amœnitate non cedentem. Ferebat grandes sineque ullo tubere leves arbores, quæ suo fastigio nubes pæne videbantur attingere. Regio instar maris plana, magna scatebat herbarum copia. Accedit quod hunc districtum perambulanti, ne lapis quidem offensurus pedem inveniretur: nullam præterea soli partem habebat, quæ non aliquem proferebat fructum. Hic videbas certare poma cum arboribus, uvas cum vitibus suo ipsa mole nutantibus.

MONA-

MONA.

INſulæ hujus terra, quamvis arida, ſaxoſo, aſpectu inamœna, & deformis ſuo tempore viſa ſit, nunc tamen admodum grata & exculta, tritici-que proventu adeo fœcunda eſt, ut mater Walliæ vulgo vocetur: lapides habet molares, & alicubi terram aluminoſam, è qua alumen & chalcanthum conficere non ita pridem cœperunt: ſatis etiam re pecuaria abundat.

DANIA.

Cœli temperies, aeriſque ſalubritas, Daniam valde commendat: terræ ubertas, volucrum copia, ſylvarum nemorumque varietas, ſi alibi magna, hic ſane ingens conſpicitur. Mulriformes adhuc animalium ſpecies, & florida prata afficiunt, &, quod à naturali gleba negatum eſt incolis maris affluentia ex alienis terris abunde ſuppeditat.

JVTIA SEPTENTRIONAL.

FRugum, tritici, siliginis, hordei, & similium ferax, est pascuorum etiam ubertas alicubi summa, boum & vaccarum magnum nutrit numerum, ut in Germaniam quotannis prope quinquaginta millia boum emittat; ut & ingentem copiam casei, butyri, sebi, corii. Equos pariter generosos exhibet, qui etiam apud exteros æstimantur.

FIONIA.

HUjus terram ubertas glebæ habet, frumentorum proventum exhibet ita copiosum, ut ad remotissimas regiones quotannis illa emittat, siliginem & hordeum. Ac quamvis ager multa Cerere fœcundus sit, nunquam tamen stercoratur. Abundat Regia hæc bobus, equis, nec desunt, ob multas sylvas, cervorum, leporum ac vulpium venationes.

SLESVI-

SLESVICENSIS DVCATVS.

HIC ager plerumque ſingulis trienniis, mutatis vicibus piſcationum uberem frugumque divitem præbet meſſem; tribus enim annis, colitur, ſeritur, metitur arvum; poſtea iterum tribus, ſtagnis ſuperfunditur. Vineta non fert, nec oliveta: ferarum frequens venatio, equorumque magnus quoque ibi numerus eſt.

NORWEGIA & SVESIA.

NOrweg. tractus omnis occidentem verſus ſcopulis, acutiſque petris plenus eſt: atque verſus meridiem ſaxoſus, ea præcipue parte, quæ Cimbrorum Cherſoneſo adjacet. Tractus vero ad occaſum ut & meridiem, cœlo mitis eſt, ſed terra ipſa non adeo fertilis, nec quæ ſufficiat incolis alimenta præſtare. In finibus Lappiæ ſterilis ac valde inops eſt, verſus Boream, ob rupes maximas & frigus, frumentum non fert, pecora tamen & feras in quibus albi urſi inuſitatæ magnitudinis, continet. Eſt etiam Norwegiæ peculiare genus beſtiarum, incolis

colis *Lemmer* vocatur, animal quadrupes, soricis magnitudine, pelle varia, infestum terræ animal; locustarum siquidem more omnia virentia consumit cerroque tempore mortuum, intollerabili fœtore aerem inficiat varioſque morbos generat.

SVESIA.

REgio est quæ omnes aquilonares fertillitate superet, agrum habet fœcundum, maria, lacus, flumina: piscium variorum proventu fertilis est. Habet etiam metalla, plumbum, ferrum, æs, & alia, in magna abundantia; Sylvas feris & mellificeo plenas. Creditur duplo superare Norwegiam amplitudine, fertillitate agrique bonitate. Quibusdam tamen locis aspera, & salebrosa. Incolæ viribus & robore pollent, strenui & bellicosi milites.

VPLANDIA.

IN illæ solum est fertile, frumenti tamen optimi ferax, quod in magna copia vicinis montanis, qui metallis fodiendis occupantur, exhibet. Lacus etiam plures habet, inter quos

Melerus

Melerus plurimis pulcherimiſque refertus Inſulis, piſcatione quoque dives eſt. Neque ipſi mineræ deſunt, ferri præſertim & plumbi, ut & alicubi argenti quamlibet rari.

GOTHIA.

HÆC Regio majori ex parte plana, & fertilitate, præ reliquis Provinciis, inſignis eſt. Hæc etiam ipſam Vplandiam ſuperat ſecundum quorundam opinionem. Inter alias Sueciæ Provincias amœna eſt omniumque commoda præter ſalem & vinum incolis præſtat: quemadmodum frumento, ita etiam pecoribus abundat, nec ipſi deſunt venationes, piſcationes, aucupia mellificia, & alia recenſione longiora.

LIVONIA.

REgio ſane omnium rerum plena ac fertiliſſima; Frumentum in tanta profert abundantia, ut in caritate annonæ etiam vicinis Regionibus imprimis Sueciæ opem abunde ferat.

ferat. Optimo etiam abundat lino, armentaque pascit plurimâ. Ursos, alces, vulpes, lynces, martes, martes Scythicas, mustellas alpinas & castores habet. Lepores colorem pro anni tempestate mutant, non secus atq; apud Helvetios in Alpibus hyemi sunt albi, æstate cinericei. Estque ibi ferarum tam frequens ubique venatio, ut ne rusticis quidem, quamvis crudeliter durissimeque à Nobilibus habeantur, sit interdicta. Cæterum nihil deest Livoniæ ad vitæ usum necessarium, præter vinum, & oleum, quorum tamen ab aliis Nationibus advectam satis amplam habet copiam.

MOSCOVIA.

IMmoderata in Moscovia & aspera aeris est temperies, ita tamen salubris, ut ultra Tanais fontes, Septentrionem & orientem versus, nulla unquam pestis sæviat, quamvis haud ei dissimilem habeant morbum, aclorem ita dictum, cujus vehementi ardore ita caput & intestina incenduntur, ut paucis diebus homines pereant. Regio tota neque vitem, neque oleam, neque ullâ frugiferam arborem præter melo-

melopepones & ceraſa producit, campi tamen, tritici, ſiliginis, milli panicique & omnis generis leguminum feraces ſunt, imprimis autem mellis & ceræ: cum examina apum ibi etiam in ſylvis copioſiſſima reperiantur: lini & cannabis adhæc fertilis eſt, nulla metalli etiam gnobilioris apud eos vena, ferro tantum excepto. Hic Sylva Hercynia immanibus refertiſſima feris, ubi biſontes inuſitatæ magnitudinis, urſi aſpectu horridi, lupi atro colore formidabiles, alces, &c. Venatio, tum avium captura nullibi terrarum felicior eſt. Phaſianos, anates, cygnos, grues, tum ſingularis generis, ſaporiſque delicati, aves, Tetraones (Plinio Erythrataones,) incolæ capiunt

MOSCOVIA AUSTRALIS.

PRovincia Moſcua, nou adeo magna, nec frugifera ob teriæ ſiccitatem, arenæque multitudinem; alicubi locorum tamen leguminum, ferax eſt. Malis fertilibus hinc inde ſtipatur, exceptis ceraſis, quæ nulla reperiuntur. Fructus ingrati ſunt ſaporis, mellis & ferarū exigua ibi copia, nullæque capiuntur feræ, niſi lepores magna frequentia.

frequentia. Hujus regionis incolæ reliquis ſua calilditate antecellunt.

TAVRICA CHERSONESVS.

PArs peninſulæ, quæ ab oriente & meridie à Perecopia media eſt, hyemem placidiſſimam, & aërem habet temperatiſſimum. In fine enim Decembr. hyemis initium, in medio vero Februario hyemis aſperitas, magis ſuperjecta nive, quam frigoris vi, conſtat: neque diutius quam ad medium Martii durat ſub initium itaque Veris & in Autumno fere calidiore, peſtilans plerumque redditur aër, & licet ferendis ſegetibus terra ſit idonea, maxima tamen agrorum pars inculta jacet vel ob incolarum deſidiam, vel laboris molem. Inſuper ibi equis, camelis, bobus, vaccis, pecore & ovibus abundant, ac inde victitant. Avium delicatarum affluunt copia, venationes cervorum caprarum, aprorum, leporum in ditione Tartarica & Turcica plurimas exercent. Cherſoneſum autem horridi & ardui montes interſecant.

LI T HV-

LITHVANIA.

REgio ampliſſima eſt, Moſcoviæque proxima, cujus cœlum inclemens, hyems aſperior: ceræ & mellis à ſylveſtribus in ſylvis apibus confecti abundantia: ſegetes raro hic fiunt maturæ, frumenti, & picis nulla laborat inopia, vino ab exteris allato, ſaleque ex Britannio venali utitur. Omnis generis animalia, ſed parva, profert, in ſylvis uri, alces, biſontes, equi ſylveſtres, onagri, cervi, damæ, capræ, apri, urſi, martes aliaque ferarum genera conferto ſtabulantur numero. Eſt & in Lithuania animal voraciſſimum *Roſſomaka*, magnitudine canem ſuperans, quod cadaveribus veſcitur.

BORVSSIA.

AËre fruitur amœno, ſed tamen frigidiore Fœcundiſſima omnis eſt Regio, longeque finitimis Regionibus præſtantior: aër frumenti eſt feraciſſimus, ita ut Lithuanicum & Polonicum facile his bonis ſuperet.

Abundat

Abundat melle & apibus, non ſecus ac reliquæ Regiones Septentrionles. Præterea ingens in illa pecorum multitudo, multa copioſaque venatio, quam diffuſæ ſeriſque repletæ ſylvæ promovent. Ad hæc propter ſuccinum admotum clara eſt. Abundat autem cervis, urſis, apris, bubalis, alcibus, bizontibus jubatis, boumque ſylveſtrium genere.

POLONIA.

EST Regio omnis plana, fertilis hordei, frumenti, legumiinum. Abundat fructibus, cera, melle, butyro. Salis quoq; maximam habet copiã, qui ex fodinis ſalinarum magno cum labore eruitur. Æris fodinas in montium jugis ſulphuris, tatrique vulgo dicti, bene multas habet. Armentis tam dives eſt Polonia, ut multæ Nationes imprimis Germanicæ, Polonicis victitent bobus. Animalia varii producit generis, ut urbos, biſontes, tauros equos ſylveſtres, onagros. Vt multa paucis exequamur, granarium totius Europæ eſt.

GER-

GERMANIA.

HÆC Regio tanta rerum incredibili varietate, proventuque mirabilis eſt, ut ubertate fructuum, frugum omnis generis, copia, leguminum luxuria, fœcunditate tritici, hordei, avenæ, vini præſtantia, fodinarum & metallorum ingenti copia, animalium & ferarum ubertate, omnium terrarum commendatiſſima ſit, cujus bonis omnibus recenſendis jam pares non ſumus.

SAXONIA INFERIOR.

HVjus Regionis aër durus eſt, purus vero ideo, ac ſaluberimus, niſi qua paludibus nimium humidus ſit: Eſtque Saxonia rerum omnium, excepto bono vino, ferax. Triticum, & hordeum abundans habet, hoc non conficiendis tantum panibus, ſed cereviſiæ maxime inſerviens. Metalla varii generis producit, eruitur in certo ibi monte Meliboco lapis niger picis æriſque plurimum continens, auri cuprique colorem exhibens, in hoc imagines

imagines variorum apparent animalium. Sunt & salis fodinæ, auri & argenti quam plurimæ. Marmoris quoque copiam alibi montana exhibent.

LIMBVRGENSIS DVCATVS.

REgio est nemorosa, sylvisque plurimis & salis fodinis insignis.

MEKELENBVRGENSIS DVCATVS.

FErtilissima est Regio, frumento, pomis, ligno; piscibus abundans, pecudum ferarumque ingens ibi copia reperitur.

POMERANIA.

PLana, & paucis montibus assurgens Regio est, fertillitate bona, & passim amnis fontibusq; irrigua. Prata & pascua habet gramine læta, sylvas arboribus opacas, & ferarum gregibus pervias, animalia domestica plurima numerat, melle, buryro, lino, cannabi non temnendas sibi comparat opes.

RVGIA.

RUGIA.

INſula hæc frumenti longe feraciſſima eſt, animalium, equorum, boum, ovium, anſerum inuſitata in illa invenitur copia. Lupos non habet, neque glires, quamvis ex navibus ibi ſtationem habentibus, in Peninſula Wittovia non ita pridem hoc malum repererint.

MARCHIONATUS BRANDEBURGICUS.

EJus ager admodum eſt fertilis, imprimis frumenti, nec deſunt vineta, ex quibus vinum abunde colligitur. Corallium aliaſque non ignobiles gemmas hæc producit regio.

SAXONICA SUPERIOR.

OLim hunc aërem vix pati incolæ potuerunt, ob montium ſylvarumque humidas exhalationes. Exciſis vero ſylvis jam nebulæ ceſſant, & jam ſalubrior aër incolis ſpirat. Cæterum hæc terra omni frugum genere fœcunda eſt, ut toti fere

fere circumjacenti Regioni abunde omnia ſufficiat. Smmmam habet non modũ vini, ſed etiam frumenti fertilitatem, mellis pecoriſque ingens eſt copia, excepta valle Joachimica, ubi durior gleba minuſque fertilis eſt. Sed hunc defectu m argenti divites fodinæ compenſant, ut & alia plurima metalla, argentum, æs, ſtannum, ferrum, plumbum, alicubi etiam aurum.

MANSFELDIÆ COMITATUS.

ISta Regio admodum eſt metallifera, equidem hic ſaxa foſſilia effodiuntur, dicta vulgo *Schefferſtein*, cujus generis vix alia in orbe terrarum (Munſtero teſte) invenies. Illi lapides ſunt cupro referti, ita ut igne aduſti maceratique cuprum reddant, idque non ſine maximi argenti copia. Sed hoc mirandum quoque & naturæ ludentis ſpectaculum, quod in illa regione ampliſſimus reperiatur lacus, cujus piſcium, ranarum, aliorumque reptillium adeo accurate in iſtis ſaxis natura expreſſit effigiem, ut ſingulas ſpecies exacte diſcernere, & ſuis quamque nominibus recte notare queas.

THV-

THVRINGIA.

REgio omnis generis frugum & leguminum feraciſſima, & præſertim frumenti præ omnibus in Germania locis fertilis eſt, ita ut ipſam Georgius Agricola ſumen Germaniæ appellare non vereatur: magnus hic eſt proventus herbæ Iſatidis, quam *Glaſtum*, hodie *Guadum*, & *Paſtillum* vulgo Weedt & Paſtel vocant ex qua lanæ cæruleum imbibunt colorem.

BRVNSWICENSIS DVCATVS.

HAbet piſciferos amnes, pagos amœniſſimos, nec montes vel ſylvæ deſunt, Cereris ditiſſimæ terræ.

HILDESHEIMENSIS EPISCOPATVS.

QVamvis hæc Regio montibus quodamodo attollatur, abundat tamen frugum pæne omnium, ut tritici, avenæ, fabarum, hordei, ſiliginis, copia. Poma & pyra abundantius, rarius ceraſa profert. Ruricolæ ex

te

re pecuaria lucrum ſuum & victum quærunt: alii Cives commertiis rem augere ſtudent. Paſcua habent lætiſſima, limpidos rivos paſſim in vallibus ſuſurrantes audiunt. Salinis quoque gaudent, ex quibus non parvum faciunt lucrum. Pecorum magnus numerus eſt, montes & paſcua oberrantium. Ouium plurimi greges montes & ſylvæ ferarum venatione utiles & gratæ ſunt.

WESTPHALIA.

HUjus Regionis non eadem ubique eſt aeris temperies, agrorum fertilitas, pratorum amœnitas, nec fructuum exacta maturitas: quippe modo altiſſimis aſſurgit montibus, modo horrendis obtegitur ſylvis, mox planitie porrecta eſt, modo collibus ſaltibuſque innumeris rigeſcit: adhæc innumeros animalium paſcit greges, & ſylvæ, omnis generis alites in magna alunt copia.

COMITATUS EMBDANUS.

CHaucorum olim horrida & inculta fuit terra, ea nunc multum eſt mutata. Præbet enim hodie mortalibus

talibus alimenta, nec incolis tantum, ſed vicinis etiam aliiſque exteris quam plurima. Abundat pecore, lacte, frugibus, agro plano, paſcuiſque fœcundo, in quibus boum aliquot millia ſupra modum pinguescunt, & ſingulis annis magnum lucrum incolis præſtant.

PADERBORNENSIS EPISCOPATUS.

HÆC non ampla quidem, ſed fertiliſſima eſt Regio, imprimis frumenti omnis generis feraciſſima, ovium & vervecum, porcorum, aliorumque animalium, tam ſylveſtrium quam domeſticorum, incredibili multitudine luxuriat. Fontes & rivuli omnes delicatiſſimis abundant piſcibus. Fodinas habet ferri, plumbi, lapidum, & ſalinas in diverſis locis: nuper etiam marmor produxit, & alicubi auri arenulas.

BERGENSIS DUCATUS, COMITATUS MARCHIA *ET* RAVENSBERG.

AGer hic frumenti & tritici præstantissimi ferax est, nec aliùs ullibi reperitur locus, in quo plura conficiuntur sclopeta. Abundat fontibus, & atro carbonario lapide, quem vicinum præstat territorium.

LEODIENSIS EPISCOPATUS.

HAbet aerem purgatum, temperatum, & salubrem: tum fertilem agrum, omnibus rebus affluentem. Intus reperiuntur ferri, plumbi, auri optimi, fodinæ, auri tamen pauciores. Lapidicinæ in montibus plurimæ, candidum & varii coloris marmor ministrant. Sunt & ingentia saxa fossilia, ad ignem idonea: uti etiam lapis vulgo dictus Carbo Leodinensis, qui, ubi semel ignem concepit, paulatim accenditur, oleo restinguitur, at jue vires auget Unde Leodienses, tria sibi arrogant, *panem pane meliorem, ferrum ferro durius, ignem igne calidiorē*

WEST-

WESTPHALIÆ DUCATVS.

JLla Regio aërem habet durum & ſalubrem: eſt præterea frugifera rerum præſertim illarum, quæ magis alendis gregibus, quam hominibus conducunt. Producit varias arborum ſpecies, ex quibus poma, nuces, glandes, colliguntur: glandibus porcos bene ſaginant. Ad Paderbornam & Lippiam omnium eſt fertiliſſima, ad Amaſiam vero quibuſdam locis deſerta. Animalium domeſticorum innumeros alit greges, imprimis porcorum multitudinem, qui pernis ſapidis incolarum & aliorum onerant menſas. Nec deſunt variæ multæque in ſylvis feræ.

WALDEK COMITATVS.

FRumentum in magna profert abundantia, tum vinum metallaque varii generis, aurum, argentum, æs, ferrum, plumbum, argentum vivum, alumen, ſalem. Producit etiam varii generis animalia, magnamque in ſylvis ferarum copiam, quæ ad venationes incolas crebrius incitant.

NASSOVIÆ COMITATUS.

HÆC Regio alibi in planitiem deprimitur, alibi ſylvis horret, alibi in montes tumet, alibi læta eſt vitibus, ut in Comitatu Dietzenſi, & ad ripam Lani; alibi pratis, paſcuiſque amœna eſt, aut fertilis ſegete, olere, & ligumene. Adhæc ſodinas metallorum haud ignobiles habet. Nam in territorio Sigenenſi ex lapide, ferrea quædam maſſa eliquatur, ex qua poſtea fornaces, ollæ, tubi, incudes & globi conflantur. In oppido vero, & aliis circumjacentibus pagis cuduntur omnis generis ferea inſtrumenta. Freudenbyrgæ chalybs optimæ notæ præparatur, qui poſtea per totam Germaniam diſtrahitur. Habent & ſimiles ſodinas officinaſque in tractu Dillenburgico, Hegerano, Burbacenſi, in quo & plumbum eruitur, & cuprum; ſicut etiam in agro Eberſtacenſi, qui & vitriariam habet officinam.

FRAN-

FRANCONIA DUCATUS.

IPſa Regio, excepta illa parte quæ hodie Norica vocatur atque fluminibus vicinior eſt, arenoſa nimium non eſt, nec nimium lapidoſa, fertilis omnis eſt, hordeum, triticum, omneque cum liguminibus frumentum multo cum fœnore reddit. Rapa, cepaque, nullibi fere locorum majores & meliores ſunt. Colles vineis conſiti, multis in locis vinum gignunt, quod etiam ad remotiſſimas gentes transfertur. Glycyrrhizæ Babergenſis ager plenus eſt. Pomariis, pratis, animalibus, pabulo, feris, Regio abundat.

COMITATUS WERTHEIMENSIS.

NON ſecus ac Franconia, hæc Regio maxima parte frugifera eſt, habet bonum vinum, tam in comitatu, quam in vicinis ſibi diſtrictibus, & vallibus prope flumina & amnes creſcens, magnique æſtimatur. Pratis virentibus decora eſt, quorum gramine multa aluntur armenta. Ferarum non minor eſt ob crebras ſylvas copia, ut & alitum agminatim volantium.

PALATINATVS RHENI.

TRactus hic, vel omnibus ac ſingulis Regionibus amœnitate, fertillitate & omnium rerum ubere, potior eſſe poteſt. Montes viniferi generoſiſſimum proferunt vinum, aliis longe lateque diſſitis locis exoptatiſſimum: ager ſegetibus luxuriat, omnium feliciſſimarum arborum genere, & fructibus dulciſſimis frequentiſſimus eſt: ſylvæ feris potiſſimum autem cervis, hircis, hœdis, capris, plenæ ſunt. Prope Heydelbergam magna copia ardearum eſt.

ERPACH: COMITATVS.

AËr Regionis purus eſt, ſaluberrimuſque, & ſane omnis generis frumenti ac frugum feraciſſimus. Colles multis in locis conſiti ſpectantur. Terra pulchris undiquaque pomariis cultiſſima reperitur, dives animalium domeſticorum æque ac ferarum.

AL-

ALSATIA INFERIOR.

OMnium rerum lætam, vini imprimis & frumenti copia abundantem natura fecit, ut non ſolum pro incolis ſuis ſatis habeat, ſed etiam magnam bonorum ſuorum partem diſſitis ſuppeditet Regionibus. In *Sangovia* Alſatiæ conterminâ maxima frumenti creſcit vis, quin ipſe ager ſegetibus per totam Alſatiæ planitiem turget. Reperiuntur ibi etiam caſtanearum ſylvæ; fodinæ æris, argenti, plumbi, ut & gratiſſima pecori paſcua.

ALSATIA SVPERIOR.

MVltis in locis vineas & frumenti magnam habet copiam, quod circumquaque in omnes vicinas evehitur Regiones.

WIRTENBVRGENSIS DVCATVS.

HVjus Regionis aër eſt ſaluberimus, æſtate commodus, hyeme temperatus. Ipſa regio fertiliſſima, ita ut cum optima Germaniæ parte

parte certare queat, frumenti ligumi-num, vini, fructuum magnos reddit proventus. Non eadem tamen Regionis ubique indoles est: pars enim Alpibus arenosa rubrique coloris frumenta tamen satis commoda: ubi vero Neccarus in compestria diffunditur, tota felix, tota beata est; undique herbida prata, vini colles, fertiles agri, abundans vini, frumenti, pomorumque undique proventus. Argenti quoque fodinas hic Ducatus habet, producit ferrum, & æs, tum lapides varii elegantisque coloris, varii generis animalia, feraque saltibus vagas.

COMITATUS TIROLIS.

HAbet multas argenti fodinas tum quidem uberes, ut ex iis quotannis fructuum CCCC. millia aureorum Principi cedere, autor sit Cuspinianus. Æris nuspiam majorem copiam, nusquam prestantiorem bonitatem idem prodidit, quod in Falkenstein & Erbstollem effoditur.

BAVA-

BAVARIA DUCATUS.

Aër hic ut plurimum ſalubris ac Regio amœna eſt fructuum quidem ſatis ferax, non æque tamen vini & frumenti, quamvis & vinum in nonnullis locis agreſtius gignat. Abundat inſuper ſale, arborum fructibus, ferro, pecore, volucribus, feris, omnibus denique ad victum, cultum & uſum vitæ ſpectantibus. Sues glandibus in magna nutrit copia. Præter urſos, centenarios cervorum alit greges quos abſque conſenſu Principis venari crimen eſt.

PALASTINATUS BAVARIA.

Aër hujus Regionis utcunque gratus ac ſalubris eſt, terra tamen ſatis dura & aſpera, licet quibuſdam locis ſatis proferat frumenti, ac paſcua reperiantur ſaginando pecori apta.

BOHEMIA.

HIC aër, quia perpetuis aquilonibus expoſita eſt Regio, durior ac frigidior eſt, neque tamen ille inſalubris. Ipſum vero ſolum adeo frugum, hordeum & tritici ferax eſt, ut iſta bona ſua etiam vicinis Regionibus abunde ſuppediter.

LVSATIA SVPERIOR.

REgio frumenti, rerumque è terra naſcentium feraciſſima eſt.

SILESIÆ DVCATVS.

AGer fertilis eſt, ob torrentes & rivos copioſos, venas etiam habens auri, argenti, plumbi, ferri.

GLATZ COMITATVS.

HIC jucundiſſimo tractu ſitus eſt: agrorum undique fertilitas, hortorum varietas, ſylvarum commoditas ſpectantur.

MORA-

MORAVIA.

REgio omnis cultoribus frequens, rerumque omnium ad vitæ ſuſtentationem fœcundiſſima mater eſt, nec frumenti ſolum, vinique, ſed & croci maximam partem ſuppeditat.

AVSTRIA ARCHIDVCATVS.

HIC ager omnis generum frugum feraciſſimus eſt, quive minimo colitur impendio: vini Regio ferax eſt nobiliſſimi, etiam Zingiber producit.

SALISBVRGENSIS EPISCOPATVS.

TErria Regionis valde dives eſt metalli, auri, argenti, cupri, ferri, vitrioli ſulphuris, aluminis, nec minus venationibus ferarum commoda eſt.

STIRIA VULGO STIERMARCK.

TErra undique montibus obſita, excepta parte verſus orientem, ubi ſpacioſa porrigitur planities. Regio quidem illa mineris abundat, cæterum parum fertilis. Habet in alpibus argentarias fodinas. Salis quoque ibi ingens copia coquitur, quem in alias exportant Regiones.

CARNIOLA, ISTRIA.

AC Carniola quidem vini, olei, frumenti, aliorumque fructuum Regio eſt feraciſſima, montibus tamen & alpibus horrens.

HUNGARIA.

GAudet aëre puro ac ſalubri, montibus, qui vineis gratiſſimis obſiti ſunt, prata, nemora, pomaria, ſegetes. Regio omnibus reliquis terris, clementia cœli & amœnitate, ſitus pulchritudine, jure anteferenda. Ager rerum omnium copia

&c

& fertilitate abundat, gemmas, aurum, argentum, colores, ſal fodientibus abunde largitur. Pabuli, frumenti, leguminum, ac fructuum nullibi major copia. Danubianus tractus vinum gignit generoſiſſimum. Olea tamen ibi rara aut nulla, alioquin omnibus propemodum naturæ dotibus hæc Regio aucta eſſe videtur. Inſuper animalia producit varia præſertim ovium & boum ingentem copiam, ut in exteras Regiones, Germaniam & Italiam imprimis magnos armentorum mittat greges. Feris pariter, ut leporibus, capreolis, cervis, apris, urſis, avibus, turdis, perdicibus, phaſianis, valde abundat.

TRANSSYLVANIA.

OMnium rerum, ad vitam, & vicinalem uſum neceſſariarum, hæc Regio feraciſſima eſt. Frumenti ubertate per omnes agros inſignis eſt. Vini optimi melliſque copia abunde affluit. Fructus varios & copioſos producit, ut pruna damaſcena, mala cotonea, ceraſa dulcia, melopepones, &c. Metallorum fodinas nobiles multas

multas habet. Excinduntur hic loci, glebæ auri puriſſimi, cujus uſus ſine ulla ſeparatione eſſe poteſt. Iiſdem in montibus argenti cupriq; fodinæ effodiuntur, tum chalybs, ſal, ſulphur, aliaque metalla. Boum adhæc tanta pollet multitudine, ut etiam prægrandes ſingulis ſæpe florenis vendantur. Equos generoſos producit, avium genera varia habet, ſaltus diffuſos & ampla nemora, in quibus uri, bubali, alces, cervi immanis magnitudinis, lynces, martes, pontici urſi, damæ, lepores albi.

MOESIA, VALACHIA, &c.

VAlachia licet altiſſimis ſit innexa montibus nihil tamen ipſi deeſſe videtur, quod ad uſum communem utile eſſet & neceſſarium. Præter alia bona, divitias auri, argenti, ferri, ac ſalis plurimas exhibet. Nec deſunt vineæ, nec varii generis animalia. Alit equos imprimis inſignes, aſturcones, alioſque magna copia.

GER-

SCLAVONIA.

REgio hæc omnis, teſte Strabone aprica eſt & amœna, optimos habet firmoſque maris portus, ſolum fertile, etiam vitiferum, niſi qua ſaxis & rupibus horret.

GERMANIÆ INFERIORIS INDOLES, SOLI COELIQUE COMMODITAS ET ASPERITAS.

AËr hic craſſior humidiorque eſt, ſalubris tamen habetur, & generandis variis fructibus cõmodus. Æſtas peramœna, ob temperiem caloris, hyems contra intempeſta & humida, flantibuſque Borea & Euro frigidior. Solum ubique planum eſt in quo pauciſſimos reperies colles, montes vero pauciores, niſi quod in Ducatu Lucenburgenſi, & Provincia Namurcenſi ac Hannoniâ, frequentiores occurrant. Reperitur etiam pluribus in locis ſabulum, ut in quibuſdam Flandriæ & Brabantiæ tractibus. Triticum diverſis in locis, tum frumentum, hordeum, cannabis,

cannabis, ſiligo feliciter creſcunt. Propter frequentiam tamen incolarum cum alendis civibus ſuis Hollandia non ſufficiat, ex aliis locis victui neceſſaria importari curat. Gignit hæc etiã Regio varii generis fructus, ut pyra, mala, pruna, ceraſa, mora, perſica eximia juglandes, avellanas, meſpila, amigdala, ficus; mala medica, citrea: punica facile ferre nequit, vites raras habet, arbores pariter omnis producit generis, quercus fagos, fraxinos, cerros, platanos, populos, ſalices imprimis in magna copia, tilias profert valde proceras umbræ amænitate & floris ſuavitate incolis gratiſſimas. Olerum ferax eſt. Nulla venenoſa reperies inſecta, ut viperas, ſpides, ſcorpios. Buſones & lacertas alit. Agrorum, paſcuorum, paſcuorum, pratorum amœnitate nulli cedit Regioni: in quinquencem digeſtas arbores ut plurimum lætus ſpectabis. Paſcua tam ob glebæ indolem, quam humoris copiam, pinguia reddunt animalia præſertim vaccas & tauros.

DUCATUS LIMBURGENSIS.

TOtus iſte tractus ut æſtate ob loci varietatem, & aſpectum, jucundiſſimus apparet, ita hyeme admodum eſt ingratus: toto enim tempore

tempore hyberno gelu horridus eſt. Ager rerum eſt feraciſſimus, quibus ad humanos uſus opus eſt, vino tamen caret, cujus inopiam hordeum melioris notæ penſat, ex quo cereviſia cocta, acceptiſſimum potum præbet. In conviviis hunc liquorem tam avariter ingurgitant, quaſi Saxonibus,& Francis

—— (qui ſe cervice ſupinant,
Et fundo ex imo præbita pocla bibunt)

potatores cer amen indicturi.

Paſcua ſanguinolento pecori habentur optima,caſeique ſaporis optimi magna eſt copia. Herbarum & ſulphuris ferax eſt ſolum, per cujus ſubterranea calidi fontes permanant.

DUCATUS LUTZENBURGICUS.

HÆC Regio omnis licet montoſa & ſaltuoſa ſit,bona tamen fertiliſque eſt, maximamq; partē ſylvæ Arduennæ complectitur, ideoque in duas partes dividitur quarum altera Tamenna, altera Arduenna dicitur. Tamenna fertilior ſegetis, vinique eſt, Arduenna aſperior; quæ tamen hanc aſperitatem venationibus & fera ū abundantia compenſat. Feræ iſtæ ſunt cervi,apri,capreoli, lepores, cuniculi, perdices, &c. Præcipuus tamen hujus terræ fructus in pecore conſiſtit,tum ferri, cuprique fodinis

fodinis, quibus etiam nonnihil accedit argenti.

FLANDRIA COMITATUS.

SOlum magna ex parte planum eſt, in quo pauciſſimi reperiuntur montes, ſeminibus quidem & agriculturæ ſatis idoneum eſt, alibi tamen locorum, præſertim verſus maritima Galliamque, raræ ſane fœcunditatis. In pleriſque partibus cœlum temperatum, clemens & ſaluberrimum, Auſtrum verſus eſt. Producit equos generoſos, qui non tantum agilitate, ſed etiam forma commendantur.

ARTESIA COMITATUS.

HIC aër ſuavis & ſerenus, regioque fertilis eſt, imprimis vero tritici, cujus copiis non ſuis ſolum, verum etiam vicinis Flandris, Brabantis, aliiſque ſuggerit. Vino carer, idque magis incolarum negligentia, quam ſoli vitio.

HAN-

HANNONIA COMITATVS.

SErenum, temperatum, ſuavemque Regio iſta habet aerem; Solum frugum, tum præcipue frumenti, ferax. Abundat inſuper pratis, paſcuis, pomariis, aliiſque rebus. Metalla profert ferri, plumbique, optima: Lapidicinas variorum marmorum, ſilicis, &c. Conflantur etiam ibi vitreæ laminæ, à forma feneſtræ appellatæ.

HOLLANDIA COMITATVS.

REgionem hanc hinc inde frugiferi commendant agri, qui tamen tantæ multitudini ſuſtentandæ neutiquam ſufficiunt. Paſcuorum ubertas incredibilis eſt, quibus innumeri boum vacarumque greges pingueſcunt. Vaccæ adeo diſtenta lacte trahunt ubera, ut referente Guicciardino tantum Aſſendelphi & quatuor vicinis pagis, lactis uno anno ex vaccis colligatur, quantum è Germania ſuperiori, Rhenenſis vini Dordrechtum devehatur. Ex tanta lactis affluente copia, butyri & caſei immenſas poſſident divitias quod ſatis ſuperque etiam peregrinis notum

notum eſt. Animalia, quæ hæc producit terra, ſunt, equi, ut plurimum craſſi. In collibus arenariiis, cuniculorum innumera oberrat multitudo, lepores rariores ſunt, cervi rariſſimi, avium captura, imprimis annatum, felicior & copioſior eſt. Ex defectu lignorum Hollandia igne maligno tepet, dum ceſpite ex terræ penetralibus ipſiſque aquis eruto, ventoque & ſole exſiccato, focos lucere facit. Illarum autem rerum defectum, quo hæc regio laborat, his elegantibus verſibus Joſephus Scaliger expreſſit.

Ignorata tuæ referam miracula terræ,
Douſa peregrinis non habitura fidem.
Omnia lanitium hic laſſat textrina Minerva.
Lanigeros tamen hinc ſcimus abeſſe greges.
Non capiunt operas fabriles oppida veſtra;
Nulla fabris tamen hæc ligna miniſtrat humus.
Horrea triticeæ rumpunt hic frugis acervi:
Paſcuus hic tamen eſt, non Cerealis ager.
Hic numeroſa meri ſtipantur dolia cellis;
Quæ vineta colat nulla putator habet.

Hic

Hic nulla, aut certe ſeges eſt rariſſima lini,
Lanifici tamen eſt copia major ubi?
Hic mediis habitamus aquis; quis credere poſſit?
Et tamen hic nullæ, Douſa, bibuntur aquæ.

ZEELANDIA.

SOlum Zeelondicum imprimis pingue eſt, & cum aliarum frugum tum vero tritici maxime feraciſſimum, quod in ea bonitate naſcitur, ut vix melioris valoris alibi invenias; proxime ſiquidem ad oryzam accedit: illa terra quoq; producit coriandrum, innumera adhæc ſunt piſcibuſque repl ta ſtagna.

COMITATUS NAMURCENSIS.

INcolas habet frequentiſſimos, bene moratos & fideles, aërem ſalubrem, temperatum, flumina piſcoſa, quorum præcipua ſunt Moſa & Sambra. Sylvæ hic plurimæ, plenæ ferís ac volatilibus, planities tritici, aliarumque frugum fertilis eſt. Montes, quibus

quibus Regio copiosa est, multas habent ferri, plumbique venas, ut & varii generis lapides, ubi sub nigrum marmor eminet, nitrum præter alia hic quoque emitur. Aquarum, fluminumque, ut & lignorum illa opportunitas, conficiendo ferro apprime utilis est, quod in diversas trahitur Regiones.

EPISCOPATUS ULTRAJECTENSIS.

IBI saluberrima est aëris cœlique temperies, solum fertile & bonum, quod sicut magis editum & siccum; ita etiam magis cultum quam Hollandicum, segetumque feracius est.

TRANSISULANIA.

EJus omnino planum est solum; cum aliarum frugum, tum tritici imprimis, admodum ferax. Sylvæ ejus non inamœnas præbent venationes.

WESTERWOLDIA.

HÆC Regio passim exiguis collibus repleta, palludibus & stagnis frequens est, quæ totam terram fere

fere occupant : quapropter incolæ aliunde vitæ alimenta capere neceſſum habent.

GALLIA.

GAllicus aër maxima parte planus eſt aſſurgit amœnis hic inde collibus, quos valles aſpectu juncundiſſimæ excipiunt. Hinc igitur incolarum & cultus induſtria, triticum ſegeteſque in magna producit copiâ, nihil in illa otioſum vel deſertum, niſi qua paludes obſtant. Abundat vino ſane optimo, cujus abundantiam etiam vicini Britanni & Belgæ, quibus uvas frigidius negavit ſolum, ſentiunt.

Metalla auri argentique apud Gallos eſſe, præter Strabonem, Athenæus teſtatur, quæ tamen hodie exhauſta eſſe, creduntur. Armentorum pariter ager Gallicus plenus eſt, abietem & texum fert. Avium & piſcium genus multiplex ſufficit.

Sylvas Gallia frequentes habet, neque tamen adeo ut in aliis Regionibus magnas, nec denſas aut ita dumetis horridas.

PICAR-

PICARDIA.

REgio fertilitate insignis, quæ horreum Parisiorum dicitur, totiusque adeo Franciæ; vino caret, ignavia potius incolarum, quam vel cœli, vel soli injuria.

RHETELORUM DITIO.

REgio hæc aliis Gallæ & Campaniæ partibus, soli fertilitate, & aëris bonitate, neutiquam cedit.

PRINCIPATUS SEDANENSIS.

TOta hæc Regio montosa est, sylvis arboribusque plena, quæ usibus incolarum apprime conducunt, sive exstruenda sint ædificia, sive profligandum per hyemem frigus, sive carbones conficiendi. Feræ, fodinæque hinc inde divites reperiuntur, cervos & cuniculos in magna alit frequentia.

LOTHA-

LOTHARINGIÆ DVCATVS.

ALtiſſimis illa innexa montibus eſt, ſylviſque denſiſſimis abundat, cum vero ſatis ferax frumenti vinique ſit, externæ opis plane non indiget. Metalla varii generis gignit, argentum, æs, ferrum, ſtannum, plumbum, ita ut nec gemmæ ipſi deſint, lapillos cærulei coloris producit, *Lazulos* dictos: animalia inſuper gignit varia, tum vero equos generoſiſſimos neapolitanis & turcicis non inferiores. Metallorum, imprimis argenti fodinarum fœcunda Regio eſt, ſylvas præterea frequentes denſiſſimaſque alens.

CAMPANIA.

CŒlum ibi ſerenum, aër temperatus, agro, frumento, vino, omnique pecorum genere abundans. Sylvarum quoque nulla eſt inopia, quæ venationes jucundaque præſtant aucupia.

NORMANNIA.

REgio hæc, licet neque pascuis, neque arvis careat, ob maris tamen viciniam, incolarum ingenia magis mercatura, quam agricultura afficiuntur, neque tamen ideo aut frugibus aut ullis aliis fructibus caret.

BRITANNIA.

TErra pascuis frugibusque læta est, quæ propter maris fluminumque oppertunitatem, nulla re indigeat.

DUCATUS ANDEGAVENSIS.

REgio hæc magis fertilis & amœna, quam ampla est, colles habet vitibus passim consitos, valles sylvis saltibusque viridos, læta prata: Eryceta gratissimum pecori præstant pabulum. Vina hic alba, optimæque notæ. Verbo, hæc insula omnia ad vitam necessaria abunde suppeditat.

DUCA-

DUCATUS TURONENSIS.

HIC incredibilis Regionis eſt amœnitas: gratiſſima enim gaudet aeris temperie, adeo, ut totius Galliæ hortus & pomarium vocetur. Vini frumentique ferax eſt, nemoraque venationi commoda habet.

DUCATUS BITVRIGUM.

HIC imprimis abundat pecore, quod ab incolis per totam diſtrahitur Galliam: infinitus hic quoque eſt opidorum, pagorum, ſaltuum, montium, pratorum, paſcuorum, rivulorum, fontium, vinetorum numerus.

DVCATVS NIVERNENSIS.

HUjus incolæ rei pecuariæ ſunt dediti: ager pauci frumenti ferax, vini fere nihil habet, præter ferri argentique venas. Carbonum lapideorum magnus ibi uſus.

BVRGUNDIÆ DVCATVS.

HUjus ager planus eſt, & nulli fertilitate cedit. Hic Ceres Baccho certamen indixit.

BVRGVNDIÆ COMITATVS.

REgio admodum eſt fertilis, rebuſque omnibus ad victum neceſſariis inſtructa, ager ſementi faciendæ, arboribus ſerendis, vinetis colendis, pecori alendo, commodiſſimus: ſumma ubique eſt tritici, ſiligenis, hordei, avenæ, ſabarum, milii, aliorumque leguminum fertilitas, nec minor arborum fœcunditas: colles præſtantiſſimi Vini feraces ſunt, animalium ferarumque confertiſſima ubique reperitur copia.

BORBONIVS DVCATVS.

HIC aër fere omnis ſabuloſus, & frumentum non niſi paucis in locis metitur. Vina paſſim optima reperiuntur, & ſecalis ma na copia.

LE-

LEMOVICVM.

TErra hic non ejusdem ubique indolis est, tota fere sterilis, quæ tamen omnis generis fruges producit, imprimis siliginem, hordeum, panicum, castaneas, rapas, vinum sed tamen ignobilius.

PICTAVIENSIS COMITATVS.

REgio est pecoris frugumque, tum lanæ, lini, vini, feracissima: avium, ferarumque magnam habet copiam, quo fit ut venationes hic sint frequentiores: viperarum hic ingens est copia, quæ Theriacæ conficiendæ inservit.

SANTONIA.

SAntonum Regio tritico & vino dives est, estque melioribus Galliæ Regionibus annumeranda, ita ut merces suas Hispanis, Anglis aliisque multis provinciis ministret.

BENEARNIA.

VIX ibi oppidum, vix pagus, cui non aliquid ſingulare ſit. Potior pars milio, lino, cannabi (quibus rebus maximam incolæ ſolent exercere mercaturam) copioſa eſt. Frumenti etiam paſſim ferax eſt, paſcuis & pecore valde dives, unde ingens butyri caſeique copia reperitur. Caprarum multitudine ingenti abundat, quæ in rupibus & ericetis, citra arborum perniciem & detrimentum nutriuntur. Vinum producit generoſum, balnea thermaſque omnium in Europa præſtantiſſimas habet.

LANGVEDOCIA.

REgio eſt nobiliſſima, ſcriptoribuſque Romanis imprimis celebrata.

DELPHINATVS.

REgio eſt non eiuſdem ubique indolis ac genii, ferax pleriſque in locis rerum variarum, in nonnullis contra ſterilis præcipue qua montibus veſtita inuenitur.

PRIN-

PRINCIPATVS ARAVSIONENSIS.

TErra variorum fructuum ferax, fluminibusque irrigua est.

PROVINCIA LA, PROVENCE.

HÆC Provincia agro est fœcundissima, segetem, ficus, myrtos, castaneas, mala cotonia, granata, crocum, & vinum profert præstantissimum. De ipsa hoc testatur Plinius lib. 3. c. 4. *Agrorum cultu, virorum morumque dignatione, amplitudine opum, nulli Provinciarum postferenda, breuiterque Italia verius quam Provincia.*

SABAUDIÆ DUCATUS.

PAscua, quibus enutriri debeant animalia, hic optima sunt.

HELVETIA.

IN hac omni Regione salubris est aer, & quamvis celsis præruptisque montibus aspera sit, ita tamen inco-

larum indefeſſo labore ac induſtria mitior facta, ut nulla parte ſterilis ſit, quin enim non ſolum ad vitam neceſſaria, ſed etiam ad delicias grata proferat, tamen, niſi gleba pleriſque in locis exuſta fuerit, ſementem fruſtra ſparſeris. Vinum tellus ita generoſum in quibuſdam profert locis, ut etiam Rhenenſe longe ſuperet; ſapore non minus, quam virtute. Huc accedunt pinguia prata, in quibus armenta gregeſque luxuriant. Ferarum quoque Regio ferax eſt, nimirum urſorum, cervorum, damarum, capreolarum, ibicum, lyncum, aprorum, &c.

PAGUS TIGURINUS.

Hujus tractus ſolum ut plurimum fœcundum eſt, feraxque vini & frumenti plurimi; vinum tamen plerumque acerbius eſt, nec ob vicinos Alpes ad veram pervenire poteſt maturitatem. Piſcium hic incredibilis eſt copia.

PAGUS AVENTINUS.

Vini & frumenti ferax eſt, & rerum ad vitæ uſum ſpectantium.

LACUS

LACUS LEMANUS, VULGO GENEVE.

HUjus incolæ de cœli temperie conqueruntur, fere tamen nunquam frigore riget: ſolum undiquaque fertile & fœcundum habet, ita ut hic nec vina, nec ſegetes, nec leguminum varia genera deſideres: fructus vulgares in magna quoque ſunt abundantia, ut nuces, poma, pyra, rapæ, &c.

HISPANIA.

INvenitur in Hiſpania magna cœli ſalubritas, paludes nullæ incolas gravant. Maritimis auris ſana eſt. Non eadem tamen Hiſpaniæ ubique qualitas: Boream enim verſus frigidior eſt, ſemper oceano obnoxia & aſperitate nonnullis. Aquarum interiorum indiget, malignaſque habitationes habet, quod pleraque rupibus, ſaltibus, lociſque ſylveſtribus occupata ſint. Qua in Auſtrum montibus fere intercurrentibus declinat, omnis felix ac beata, multis irrigatur fluminibus, & animalium frugumque nu-

trix eſt ſolicita. Dicit Philoſtratus hic talem eſſe cœli temperiem, qualis autumni tempore ſolet eſſe in Attica. In locis quibuſdam tanta eſt ubértas, ut pro uno modo in terram ſparſo 30. accipias, ſæpe etiam 40. Herbarum quoque feraciſſima eſt Regio, ut & arborum varios fructus producentium. Adhæc & Hiſpania pecoris omnis generis dives eſt, variaque gignit animalia. Elogiam Hiſpan. vide apud Pacatum in Paneg. Theodoſ. Imperat. dicto. *Jam profecto conſtabit eum Principem declaratum*, &c.

Commoditas autem Hiſpaniæ, quæ tam incolas quam pererегrinos beat, verbo hæc eſt: ſericum, lana, panni omnis generis, ſal, ſaccharum, mala, medica, citrea, granata, cydonea, olivæ, capperes, uvæ, ficus, pruna, uvæ paſſæ, amygdala, caſtaneæ, glycyrrhiza, aniſum, cuminum, coriandrum, oryza, crocum, oleum, cera, alumen, ſmegma, minium, purpura, thynni, balneæ, ſalitæ, baccæ laurinæ, fructus diverſorum generum ſaccharo aſperſi: alabaſtrum, corallium, aurum, argentum, ferrum, chalybs, ſtannum, cuprum, plumbum, argentum vivum, goſſipium, gemmæ, aromata.

NA-

NAVARRA.

HÆC in cœlo & ſolo ſalubri ſita, vini, frumenti, & mellis ferax eſt: pecori & agriculturæ valde commoda.

BISCAIA.

INhac temperatius clementiuſq; cœlum eſt, quam in reliqua Hiſpania, magnis etiam circumdata montibus, nec frigore nimio infeſtatur neque calore nimio torretur. Regio arboribus pro navibus fabricandis, plena eſt. Ferri & nigri plumbi ferax eſt. varia quoque proferr fructuum genera & animalia.

GALECIA.

FRuctus profert in magna copia, imprimis mala citrea, totius Hiſpaniæ optima, vina generoſiſſima. Juſtinus dicit quod ſit æris & plumbi uberrima, auro quoque ditiſſima; adeo, ut etiam aratrum glebas aureas excindat. Adhæc abundat equis, piſcibus ſupra modum affluit, & quoniam

niam montibus aſpera, armentis, pecore venationeque dives eſt.

PORTUGALLIA.

IN hac Regione optima eſt aeris temperies, multiſque cœli ſerenitate, & ubertate præſtat. Abundat vino, oleo, malis aureis, citreis, amygdalis, melle, cera. Ac fructibus quidem, quos hæc profert Regio, reliquas omnes Provincias antecellit. Regio hæc plurima producit animalia, imprimis equos concitatiſſimæ velocitatis, ut hic vento concipere equas Veteres crediderint, de quibus in Geograph. Hiſp. dictum.

ANDALVSIA.

Cœlum hic fœlici temperie amœnum, terraque in univerſo tractu, frumenti, olei, & omnis generis frugum feraciſſima eſt, quibus etiam remotas replet Regiones.

VALENTIA.

FRuitur temperatiore aere, cœloque clementiore, quam ulla alia Hiſpaniæ pars imo tanta clementia

&

& benignitas cœli Valentiam commendat, ut quocunque tempore etiam in Festo Natalit. incolæ manipulos frugum manibus gerant.

ARAGONIA.

REgio fut plurimum aspera, & sicca est, maxime versus Pyrenæos, qua propter nullæ reperiuntur multis in locis habitationes, valles tamen nonnullæ frumenti optimi frugumque feraces sunt.

CATALONIA.

Aërem habet ubique commodum, hyeme temperatum, in Australi præsertim parte, Nam in ea, quæ ad Septemtrionem vergit, frigidior, & magis invisus est. Tota est plurimum montosa planities præterquam in nonnullis suis Regionibus. Fagus in illa multa, multiplex pinus, numerosa quercus, illex non pauca, abies innumera, corylō ac castaneis abundans, infinitum propemodum suber, cujus præcrassus cortex.

BALE-

BALNEARES INSVLÆ.

SUnt valde feraces atque omni rerum copia affluentes.

ITALIA,

Ex Encomio Dionyſii Halicarnaſſ. Antiquit. lib. 1.

QUod ſi quis, remota ex verbis fabula, bonitatem Regionis velit exquirere, ex quo humanũ genus plurima ad Vitæ hilaritatem facientia mox à ſuiis initiis perceperit, ſive ex terra, ut antiquorum opinio, ſive aliunde fuere, non facile aliam inveniet ad hoc magis idoneam. Si enim unam terram cum alia conferas magnitudine parem, nec ſolum in Europa verum etiam in toto Orbe optima meo judicio eſt Italia, quanquam me non lateat, quod incredibilia videbor dicere cogitantibus Ægyptum, & Africam ac Babyloniam, & ſi quarum aliarum celebrata eſt felicitas. At ego terræ opes non æſtimo ex una aliqua fructus ſpecie; nec me ſubit deſiderium habitandi ubi arva tantum ſunt pinguia; aliarum vero rerum

rum ad vitam utilium aut nulla, aut admodum parva copia; ſed quæ ſibi ipſi maxime ſufficit, advectiſque bonis plerumque quam minimum indiget, eam puto optimam. Hanc vero omnigenam fertilitatem & copiam, ſi cui alii terræ, Italliæ conceſſam credo. Non enim arva modo bona habet, caret autem arboribus ut frumentifera; neq; plantis modo quibuſlibet alendis eſt idonea, ſed inutilis ſegetibus, ut arbuſti, agri; neque largiter hæc utraque ſuppeditat, ſed parum apta eſt alendo pecori, neque dixerit quis, eam abundare quidem frugibus ac paſcuis, ſed ad degendam vitam eſſe ingratam hominibus: verum, eſt referta omnibus ut ita dicam voluptatibus ac commodis. Cui enim frumentiferæ cedunt terræ, rura Campana, non fluminibus, ſed aquis rigata cæleſtibus? in quibus campis ego vidi arva vel trifera, æſtivam poſt hybernam, & autumnalem poſt æſtivam, ſementem enutrientia. Cui oliviferæ Meſſapiarum ac Dauniorum, Sabinarumque & aliorum multorum cultura? Cui vitifera Hetruria & Albanus Phalernuſque ager, mirum in modum amicus vitibus, & modico labori uberrimos redens fructus atque optimos, cedent?

dent. Præter eam autem quæ colitur, multum terræ invenias patere ovium, multum caprarum gregibus, plus etiam & præstantius armentis equorum & boum. Palustris etiam & pratensis herba, copiosa illa cultivæq, terræ irrigua & roscida, quantum æstate pascua, omni tempore vegetem præbet gregum copiam, sed saltus imprimis admiratione digni sunt, circa prærupta & nemorosa loca, tumulosque culturæ parum idonei; ex quibus multam ac pulchram fabricandis, navibus multis etiam aliis operibus aptam petunt materiam. Atq; horũ nihil est vel paratu difficile, vel ab humanis usibus remotum; sedomnia & confici facile & facile convehi possunt, propter fluviorum frequentiam, qui universam oram permeant, & magnam opportunitatem importandis & permutandis quæ terra fert rebus adferunt. Eadem terra habet & aquarum calidarum multis in locis scaturigines, jucundissima exhibentes lavacra, morbique inveteratis sanandis utilissima. Item metalla omnis generis, ac venationes luculentas, maritimosque proventus varios, & innumera alia, vel utilitati servientia, vel delectantia miraculo. At omnium pulcherima est aëris moderata

derata. ut anni tempus ferr, temperies; qualis nec nimio gelu nec immenſo æſtu fruges lædat, aut animantia.

VENETUM DOMINIUM.

REgio hæc pernobilis & lauta eſt. Campos habet amœnos, ac frumenti cæterique frugum, tum omnigeni fructus, ac vini maxime fertiles. Nec deſunt calidi frigidique fontes, ad medicinam valde utiles. Adeſt metallorum ubertas, multi nobiles amnes & lacus: cœlum ſalubre, jucundum & temperamentum. Tantis denique naturæ dotibus ornata eſt, ut inter principes Italiæ Regiones cenſeri debeat.

BERGOMUM.

AGer circumvicinus ſupra modum fertilis, niſi verſus ſeptentrionem aſper & montoſus, & ſterilis. Ferrum habet, lapidemque Cadmiam ex quo æs conficitur. Velleræ magni pretii ſuppeditat. Valles adhæc in hac vicinia Vini oleique ſuaviſſimi feraciſſimæ.

BRIX-

BRIXTENSE TERRITORIVM.

HOC tritico abundat, ut & reliquorum fructuum genere, tum vini oleique ingentem profert copiam, neque æris vel ferri fœcunditate caret.

VINCENSE TERRITORIUM VULGO VICENZA.

AGer hic amœniſſimus, & vīni, frugum aliarumque rerum eſt feraciſſimus, imprimis mororum, quarum frondibus bombyces aluntur.

TERRITORIVM PATAVINUM.

Cœli clementia, bonitate, Euganeorum montium amœnitate alpium & maris vicinitate, fluminum pulchra oportunitate, omnium finitimorum facile princeps eſt. Ad hæc ferax eſt frumenti, vini, variorum fructuum; venationibus inſuper & aucupiis, tum vero piſcationibus frequens eſt. Refert C. Rodiginus Conſtantinum Palæologum dicere ſolere, niſi *ſciret à ſanctiſſimis viris affirmari* in oriente Paradi-

Paradiſum eſſe, arbitrari ſe, non alibi eum reperiri poſſe, quam in perſuavi Patavina amœnitate.

POLESINO DI ROVIGO.

HIC quoque ceteris anni temporibus varia proveniunt fluctuum hortenſium genera, nominatim pepones, cucumeres, anguriæ, braſſicæ, lacuturres, Sabellicæ, cæteræque ſpecies aliarum frugum.

TARVISIUM VULGO TREVIGIANO.

INgens hic ubique eſt agrorum ubertas, magnum rei pecuariæ fundum, tritici optimi, Vini nobiliſſimi, aliarumque rerum ſtupenda copia.

FORVM JVLIVM.

HÆC Regio campis eſt amœna, fluminibus, fontibuſque irrigua, ſolum quoque habet vitiferum, ſylvas, metalla, lapidicinas, fluvios. Imprimis ibi hydra eſt, inibi argentum vivum extrahitur. Thermas pro recuperanda valetudine optimas non procul

cul à monte Falcone exhibet, in Tiliavento amne navigabili fons eſt, in quem ſi conjcias ligna lapideſcunt.

ISTRIA.

HÆC Regio omnis aſpera eſt, & non tam montibus, quam colliculis fœcundis aſſurgit. Unum habet excelſum montem, qui dicitur Mons major. Sylvas etiam tum aliis uſibus tum ad naves extruendas imprimis utiles. Reperiuntur etiam ibi ſaxi fodinæ in agro Rovinenſi & Breonio è quibus marmora Venetias ad aliaque Italliæ loca deferuntur.

PEDEMONTIUM.

AGros habet amœnos, fructiſque collibus plenos, qui frumentum aliaſque fruges, & optima vina cum nobiliſſimis producunt fructibus.

AGER VERCELLENSIS.

HUnc vini, aliarumq; frugum fuiſſe uberrimum etiam auriſodinarum valde divitem, vel ex Plinii hiſtoria naturali patet. lib. 34. c. 4.

PARMA

PARMA.

REgio valde amœna eſt, & herbida, multarum frugum ac fructuum fœcunda genetrix, medicinalibus rivulis non minus læta, gramina pecori ſaginando ſufficiunt, ex quibus magna copia lactis, lanæque magna faciunt commoda.

SENENSE TERRITORIVM.

AGrum habet mediocris conditionis, mediumque inter ſterilem & feracem, amœnum, frumento cæteriſque frugibus uberem. Qua in mare vergit, *Maremma* vulgo, copiam frumenti exhibet maximam, colonis tamen infrequens eſt, imprimis æſtate & autumno propter agnatum cœli vitium.

ILVA INSVLA VULGO ELBA.

OLim metallis fœcundiſſima erat, quæ nunc hodie plane exhauſta ſunt, pro quibus ingens ubiq; eſt ferri copia, quod ſemel erutum poſt 25. annos ranaſcitur quaſi in illo producendo

cendo indefeſſa naturæ benignitas eſſet. Hoc autem notatu dignum eſt, quod ferrum in hac inſula natum, in natali ſolo non liqueſcat, ſed alio transferendum. Ex illis etiam penitralibus terræ magnes, ſtannum, ſulphur, alumen, plumbum & alia educuntur: Cæterum aer reliquus neqûe fruges ſert, neque poma.

DOMINIVM ECCLESIASTCVM.

QUod agros habeat optimos auctor eſt Leander. Omnium frugum, tam quæ ad vitam neceſſariæ, quam quæ ad voluptates opportunæ ſunt, dives eſt. Campi hic ſunt lætiſſimi variique generis fructiferis arboribus conſiti, colles peramœni, vitibus ſuaves, ſylvæ munificæ, prata herbida, ſalubres paſſim aquæ, ſalinæ cum circa littus, tum intus frequentes, mare, fluminaque plurima navigabilia, & piſcibus fœcunda, metallorum fodinæ, & innumeræ aliæ naturæ dotes, eximiæ non minus quam raræ.

ROMANDIOLA, VULGO ROMAGNA.

ILlam agros habere optimos ſcribit Leander. Omniumque frugum, tam ad vitam neceſſariarum, quam ad humanes voluptates, abundans dicitur. Campos hic latiſſimos & fructiferos, ſalubres paſſim aquas, ſalinas etiam copioſas, mare fluminaque plurima navigabilia, piſcibus fœcunda habet. Metallorum fodinæ bene multæ ſunt.

PICENUS AGER.

AGer Picenus rerum omnium fertilis eſt, qui tamen fructibus arboreis, quam frumentariis, præſtantior eſſe dicitur. Nobiliſſimum Vinum ad Sirolum oppidum colligitur, quod Plinio Anconitani vini nomine celebratur.

AGER PERVSINVS.

TEſtatur Johannes Campanus, quamvis multas luſtraverit Regiones, nullam tamen cultiorem & amœniorem ſe unquam cognoviſſe.

Primum

Primum intuenti vasta omnia & montosa occurrunt, quum autem propius accedas, nihil tum agrorum cultu, tum benignitate cœli, terræque ubertate felicius: ager undique frugiferis tumescit collibus, in quibus vini, olei, ficuum, pomorum, aliorumque optimorum fructuum fertilis est ubertas. His campi adjacent tritico, cæteroque frumento pleni.

ORVIETVM, VULGO ORIVETO.

HIC cœlum est jucundissimum, prospectu amœnum, aer salubris, nisi quod in æstivis mensibus permolestus sit.

APRVTIVM CITRA ET VLTRA.

REgio summa gaudet cœli salubritate, pariterq; incredibili incolarum frequentia, versus mare amœna & commoda est, sed montibus in mediterraneis aspera. Præter alia crocum abunde producit: nutritque animalia inumera. Montes hic nonnulli memorabiles sunt. Majellæ altissimus, Alpennino adjacens, & mons Virginis præcelsus, superansq; altitudine sua ipsum Apenninum.

CAM-

CAMPANIA FELIX.

HIC toto anno ſeritur. Novales tamen, (ſive terræ quæ interquiêvere,) fundunt roſam odoratiorem ſativa, adeoque terra non ceſſat producere: unde vulgo dicitur, plus apud Campanos unguenti quam apud alios olei fieri. Florus eam ita depingit: omnium non modo Italia, ſed toto orbe terrarum pulcherrima Campaniæ plaga eſt. Nihil mollius cœlo, nihil uberius ſolo, nihil hoſpitalius mari, denique bis floribus vernat, ideo Liberi Cereriſque certamen dicitur. Hic illi Nobiles portus, Cajeta, Miſenus, & tepentes fontibus Bajæ. Hic vitibus montes obſeſſi ſunt Gaurus, Falarnus, Maſſicus, & Veſuvius, Ætnæ ignivomi imitator. lib. 1. c. 16. n. 3.

TERRA BARIENSIS.

HÆC Regio ſtupenda agrorum ubertate, admirandaque nobiliſſimorum fructuum copia, toti ſane Italiæ palmam reddit ambiguam. Sunt tamen ibi quædam loca, quæ pluviæ & aquæ penuria uſque laborant, ut non injuria Horatius *ſiticuloſam dixerit Apuliam*, & Perſius, *Nec lingua tantum ſitiat canis Apula.*

TERRA HYDRUNTINA.

AGer hic optimus eſt, oleo, vino, croco cæteriſque fructibus, ad uſum humanæ vitæ imprimis commodus & abundans; mare valde piſcium ferax habet.

CALABRIA INFERIOR.

HÆC Regio ubertate gaudet incredibili, ac ſane ſtupenda, omne illud profert, quicquid ad vitæ commoda deliciaſque facit, triticum, hordeum, aliaq; frugum genera, vina varia, oleũ, ſaccharum, manna, mel, ceram, ſalem nativum factitiumque, ficus, poma medica, & citria, limones alioſque nobiliores fructus, aurum, argentum, linum, goſipium, crocum, cericum, linum. flumina paſſim habet opportuna, fontes gratiſſimos, cálidarum aquarum ſcaturigines, pingues colles, nemora denſa, valles fœcundiſſimas, incolarumque ingentem frequentiam.

SICILIA

SICILIA, REGNUM.

HÆC insula salubritate cœli, soli ferritate frugum omnium copia, rebusque aliis quibus mortales opus habent præstantissima est. Quicquid Sicilia gignit, sive soli sive hominis ingenio, ut Solinus dicit, proximum est iis quæ optima judicantur. Marcus Cato eam cellam penuariam Reipub. nutricemque plebis Romanæ appellavit: Strabo horreum populi Romani. In agro Sunensi in quo Veteres raptam finxerunt proserpinam, quem dixerunt *Umbilicum Siciliæ*, tanta est frumenti ubertas, ut ex uno tritici modio C. colligantur; quem agrum igitur vocant

Campo dello cento colmo.

Atque propter hanc rerum abundantiam, in tantas Siculi diffusi sunt voluptates, ut *Siculæ mensæ* in proverbium venerit, quæ sumptuosos conviviorum notat apparatus. Vina in Sicilia reperiuntur præstantissima, Balincium vinum Plinius dicit quod mulsi saporem habeat, idque illud est quod alibi Musentellum dicitur. Commendatur vero vinum Siculum vel hac de causa maxi-

me, quod & saporis sit optimi, & bene ætatem ferat. Oleum quoque cum ubertate Sicilia profert, saccharum, crocum, mel, salem, omnis ferme generis fructus nobilissimos, sericumque optimum. Adhæc Sicilia metallis dives est, aurum, argentum, ferrum, & alumen habet: lapides quoque gignit pretiosos, Smaragdum, gagatem, beryllum, prophyritem, jaspidem. Boum, pecorumque animalium greges confertissimos alit. Damarum quoque & aprorum venatione nobilis est, capturam perdicum & attaginum & aucupium variarum avium abunde suggerit.

CORSICA ET SARDINIA INSULÆ.

COrsica Insula est ab omni parte aditu difficilis, cum præruptis undique collibus hæreat. Interius similiter magna ex parte montosa, ideoque non frumenti, neque leguminum fertilis est, quæ nonnisi in paucis locis ubi se aperit crescunt, & ubi aquis irrigatur. Ea pars, quæ respicit Etruriam, est mediocriter plana, habetque ibi fœcundum solum, & producit nobiles ac dulces fructus. Vina insulæ sunt præstantissima

præstantissima, & à prima Nobilitate, imprimis Romanis experita. Mellis hic & uvarum expressarum (Rosine) magna est copia, olei pariter & ficuum. Solus hic ager lapidem gignit Catochiten, quem Democritus Abderites etiam in certamina contra Magos adhibuit. Vnde Rhenn.

Hanc solam perhibent Catochitem gignere terram;
Corporibus lapis hic seu glutine tactus adhæret.

SARDINIA.

Aër hujus insulæ inclemens, gravis, & insalubris est, ita ut Cicero in Epistola quadam Tigellinum quendam Sardoum hominem esse dicat patria sua pestilentiorem. Abundat tamen nihilominus tota Insula, frugibus, tritico, vino, maxime in mediterraneis. Valerius Maximus eam vocat nutricẽ Romani imperii addita Sicilia. Plena etiam est argentifodinis, pecore, armento, aliis rebus ad vitæ necessaria spectantibus. Equorum quoque magna est copia: venatione aprorum, cervorum, damarum, celebris est. A. l. 7. ad Cn. Mar. Ep. 25.

Nullum Sardinia gignit lupum, vel aliud nocens animal; caret etiam ſerpentibus. Hunc canit Silius:

Serpentum tellus pura, ac viduata veneno,
Sed triſtis cœlo, ac multa vitiata palude.

GRÆCIA.

HÆC Regio præſtabat olim reliquis Europæ partibus cœli temperie ac benignitate, omnium frugum fertilitate, & omnis generis armentorum abundantia. Illa quoque fama, gloria, doctrina, artibus omnigenis alias nationes longe ſuperabat.

MACEDONIA.

CONſtat hanc Regionem quaquaverſum eſſe fertilem, & amœnam auri & argenti, metallorumq; divitem, atque in ea olim incognitum quoddam auri genus inventum eſt. Gignit & Macedonia lapidem Pæantidem dictum, qui parturientibus opem ferre dicitur.

EPYRUS.

EPYRUS.

HÆC Regio multis in locis montoſa & ſterilis: ad oram tamen maritimam ſatis fertilis eſt; magna producit animalia, excepto aſino; ad hæc profert boves, & canes magnitudinis eximiæ. Sic virgilius. 1. Georg.

India mittit Ebur, molles ſua Thura Sabæi:
At Caliber nudi ferrum, viroſaque Pontus,
Caſtorea, Eliadum palmas Epyros equarum.

CANDIA.

REgio omnis aſpera montibuſque ubique horrens ſed fertilis eſt frumenti & paſcuorum: mira gaudet ſoli clementia, proventuque ex arboribus plurimo fœcunda eſt. Plinius auctor eſt, quicquid in Creta naſcitur, id infinito pretio cæteris ejuſdem generis rebus anteſtare. Producit vites, oleas, mala aurea, citrea, vinum malvaticum, quod antiqui *Promnium* vocarunt. Cupreſſi ad naves fabricandas hic

hic magna est copia, quæ ad immensam excrescit altitudinem, ita ut hac nihil visu sit præstantius. Tota insula lupum, vulpem, serpentem, aut aliud animal noxium non habet, ita ut etiam greges animalium noctu, in pascuis secure oberrent. Mirum de Creta referunt auctores, quod noctuam non habeat, eamque mori quando illam hauret auram.

CORFU VULGO CORCYRA.

HIC gratissima cœli clementia est, qua fit ut nemora ipsa ex citreis, medicis, atque id genus arboribus aliis constent. Solum fertile, abundans vitibus, oleis, pomis, omnisque generis arboribus fructiferis, mellis hic quoque ingens est copia, segetes tamen minus lætas habet propter ventos australes, quibus exsiccatæ arescunt, antequam ad maturitatem accedant.

ASIA, UBI IMPERIUM TURCICUM.

REgio hæc abundat oryza, lino, gossipio. Vineta quoque Christiani colunt, producit in magna copia pepones, melones, cucumeres, nuces

ces poma, pyra, mala punica, aurantia, caſtaneas, ficus, ceraſa, aliique generis fructus, non tamen in omni Regno. Venas item habet auri, argenti, ferri, æris, aluminis. Gignit varii generis animalia, magnamque mulorum, camelorum, & pecudum copiam. Equi Turcici caneſque ferociſſimi, imprimis probantur.

ASIA MINOR.

DE hac Cicero teſtatur: Cæterarum provinciarum vectigalia, Quirites, tanta ſunt, ut iis ad ipſas Provincias tutandas vix contenti eſſe poſſimus: Aſia vero tam opima & fertilis, ut & ubertate agrorum, & varietate fructuum, & magnitudine paſtionis, & multitudine earum rerum quæ exportantur, facile omnibus terris antecellat. Orat. pro Manilia 13. in princ. tom. 2.

CYPRUS INSULA.

INgrato ſane ac inſalubri ut plurimũ fruitur aëre; propter ſtagna tetrum vaporem exhalantia. Inſula tamen omnis valde fertilis eſt. De cujus fertilitate hoc Elogium præbet Ammianus Marcellin. Tanta, tamq; multiplici re-

rum omnium fertilitate abundat Cyprus, ut nullius externi indigens adminiculi, indiginis viribus à fundamento ipſo carinæ, ad ſupremos uſque Carbones ædificet onerariam navem, omnibuſque ornamentis inſtructam, mari commitat. Sextus Rufus ita ſcribit: Cyprus famoſa divitiis: paupertatem populi Romani, ut ocuparetur ſolicitavit, ita ut jus ejus Inſulæ avarius magis quam juſtius ſimus aſſecuti. Celebrarunt illam veteres ac recentiores auctores, Strabo, Mela, Benedictus Bordonius, in ſuo opere inſulari, Vadianus, Pius II. Pontifex, Dominicus Niger, Sabellicus Volateranus, Jacob. Zieglerus.

TERRA SANCTA.

ILla inter omnes Regiones, quæ ſub cœlo ſunt, ob aeris ſalubritatem cœlique temperiem imprimis commendatur, quæ nec nimio rigore hyemis laboret, neque æſtatis ardore. Præcipuè vero ob ſoli ubertatem, frugum omnis generis abundantiam, atque aliarum rerum copiam maxime celebris eſt. Ipſum ſolum Brocardo teſte frumenti feraciſſimum eſt, quippe quod in cultura

cultura ſua minimum laborem exigat, & multum præſtat fructum. Roſas, rutam, fœniculum, ſalviam, & alias herbas humus ſua ſponte producit. Lana ſuccida in fruticeris quibuſdam ibi creſcit, quorum ſemina ſingulis annis in terram ſparguntur. Cannæ etiam molles ibi creſcunt, ex quibus ſaccharum colligitur, Præter flores varios etiam poma, quæ paradiſi poma ab iis vocantur, habet. Vineæ præterea ibi ſunt multæ: ficu Regio abundat, malis granatis, oleo, peponibus, cucumeribus Frumentum ejus eſt delicatiſſimum, ut vix ullibi melior reperiatur panis. Ad hæc aquæ dulces & amœna paſcua pecoribus & armentis plena; lactis copia, aprorum, capreolorum, leporum, perdicum, coturnicum, mira abundantia. in venatione lupi, cervi, leones, urſi, cameli innumeri reperiuntur, ut cætera taceamus.

PERSIA.

REgio non alia tota Aſia ſalubrior habetur, ibi temperatum cœlum, hic perpetuum iugum opacum & umbroſum, quod æſtus levat, illuc mare adjunctum modico tepore terras fovet.

fovet. Non idem autem totius hujus Regionis genius eſt, quæ ſinum Perſicum ſpectat, ob fluvios ipſam irrigantes, atque etiam verſus Caſpium mare tam fluviorum opportunitate, quam aeris clementia auraque frigidiore felicior eſt, & ideo omne genus frugum & animalium fovet. Abundat inſuper tritico, hordeo, milio. &c. Metallis quoque & lapillis dives eſt. Vini & fructuum ubertate inſignis.

TARTARIA.

IN hac terra tonitrua & fulgura in æſtate adeo audiuntur terribilia, ut homines timore perculſi intereant. Jam caleſcit, mox frigeſcit, denſiſſimiſque nivibus obruitur. Ventorum ibi tam frequens magnuſque eſt impetus, ut equitantes detineat, & ad terram homines proſternat, arbores radicitus evellat, magnis mactet incolas damnis: Nunquam in hyeme pluit, frequenter in æſtate parce tamen adeo ut vix terra humida evadat. Regio tamen hæc oryzæ, tritici, frugumque ſimilium ferax eſſe dicitur: tum ſerico, Zingibere, cinnamomo, pipere, caryophyllis, rhabarbaro,

barbaro, ſaccharo, muſco, pice, alicubi etiam auro & argento, poller. Paucis in locis vinum reperitur, & tota Provincia Catagæ vinum non profert. Habet & ſaxa foſſilia, nigra, ad ignem idonea, quæ ex montibus eruuntur, his ob lignorum penuriam ad ignem faciendum utuntur. Ineſt etiam huic terræ paſſim boum, caprarum, hircorum, & porcorum ingens copia, imprimis vero equorum ac jumentorum multitudo pene incredibilis. Reſerunt quondam Epiſtolæ de Tartaria ſcriptæ, Tartarorū Imperatorum alere. X. millia candidiſſimarum equarum, quarum lac bibit, ad hæc. XX. venatorum milia, accipitrariorum ad X. mil. Plena quoque eſt phaſianorum, gruum, aviumque variarum Regio, In parte Tartariæ, quam Zavolhenſes Tartari tenent, ſemen prodit mellonis ſemini ſimillimum, ex eo ſi ſeratur planta, ſuccreſcit, quæ Boranetz dicitur, id eſt agnus; creſcit enim in figura agni, & quamdiu herbas habet vicinas, eo uſque vivit.

CHINÆ

CHINÆ REGNUM.

HÆC Regio cœli ſolique temperie, nec non hominum induſtriâ omnia rerum proventum exhibet. Alit enim homines minime deſidioſos, ſed labori aſſuetos, quibus nihil videtur eſſe indignius, quam otio vitam tranſigere. Hinc nullus reperitur angulus, qui ſua non proferat bona. Loca arentia tritico & hordeo conſerunt, humida, plana aut paluſtria. Colles, monteſque Vinetis abundant, nullus igitur locus aut ager infrugifer eſt. Vbique horti, roſæ & omne florum genus. Lini quoque frequentes ſunt ſegetes, arbuſta moris conſita, ad nutriendos bombices idoneis. Auri præterea argenti, æris, ferri, aliorumque metallorum, gemmarum, unionum, muſci, ſacchari, rhabarbari ingens eſt copia: hæc etiam tellus lignum quoddam, quod apud nos radix Chinæ dicitur, profert, cujus uſus contra quævis apoſtemata per totam Indiam frequentiſſimus eſt. Pecorum quoque in montibus & pratis greges innumeri ſunt, ſylvæ ejus habent apros, vulpes lepores, cuniculos, martes, aliaq; animalia.

INSU-

INSULA JAPON.

SAlubri cœli temperie grata eſt, frigori tamen & nivibus Regio valde obnoxia, neque admodum frugifera eſt. Caret præterea butyro, atque oleo olivarum; oleum tamen à balenis habet extractum. Ipſa terra varia protudit metalla; eſtque hæc Inſula in tantum auri ferax, ut Marcus Paulus Venetus teſtetur, ſuo tempore Palarium Regium aureis laminis tectum fuiſſe. Superficiem quoque aularum ſuperiorem auro, non aliter quam noſtrates plumbo vel cupro, tegunt. Arbores haud noſtris ab ſimiles ſeruut, quæ vel fructibus vel deliciis dominos afficiant. Cedrus in variis locis plurima creſcit, tantæ altitudinis, & craſſitudinis, ut inde fabri Baſilicarum columnas, & cujuſlibet quamvis capacis navis onerariæ malos efficiant. Ex animantium genere, oves, porcum, gallinam, anſerem &c. domi haudquaquam alunt Japonii. Campos & prata, boum, equorum militarium armenta, ſaltus atque dumeta lupi, cuniculi, apri, cervi pererant; è volatilibus habet phaſianos, anates, palumbes, turtures, coturnices, ſylueſtras gallinas.

INDIA

INDIA ORIENTALIS.

TEstantur scriptores hanc Regionem lenibus auris & imprimis Favonio saluberimam esse, quamvis ob ejus vastam magnitudinem cœlum habeat inæquale: alicubi enim calida est; Æquatorem nimirum versus, alicubi temperate satis, ac potius frigida versus Boream. Terra vero ipsa universim sita, cœlique clementia bonitate ac fertilitate cæteras orbis partes longe superat. Alia hic cœli siderumque indoles: binas ibi videbis æstates, binas messes, media hyeme Etesiæ perflant: ager licet frumento ut plurimum careat, legumina tamen & varias fruges copiose profert, & imprimis hordeum ac horyzam. Præter arboreos fructus producit, piper, myrrham, caryophyllum, zingiber, cinnamomum, calamum Aromaticum, nardum; multa quoque habet pharmaca, multas arborum radices salutares pariter, ac noxias. Producit etiam ingentem auri & argenti vim: non parum quoq; æris, ferri, orichalci; Abundat adamantibus, carbunculis, magaritis, uniombus; serici quoque tanta est copia, ut etiam illa, Orbi reliquo utilis sit. Animalia, quam in

ullis

ullis orbis partibus, majora sunt. boves, cameli, leones, canes, elephanti: ea etiam, quæ apud nos mansueta, apud illos magna ex parte sylvestria, sunt. Elephantorum tantus ibi numerus, ut non tantum illorum opera in bello, sed etiam in bajulandis oneribus utantur. Immanes in desertis alit Dracones, qui fere elephantem corporis mole dicuntur æquare, cum quibus perpetua illis intercedunt certamina. Canes insuper adeo magnos feroceſque habet, ut etiam cum leoni committi possint. Serpentium ingens ibi colluvies est, quibus tostis etiam incolæ vescuntur, adjuncto pipere. Simiæ hic reperiuntur albæ, ut & chamæleon, quem solo aëre nutriri credidit antiqua fides. Nihil hic de avibus, totam illam terram occupantibus dicemus.

MAGNI MOGOLIS IMPERIVM.

NON una in hoc potentissimo Regno cœli solique est ratio. In Guzuratensi Provincia, & ad oram Indici maris hyems initium sumit Kalendis Junii, & durat in Septembrem: non tamen hic continue pluit, sed per intervalla; sub exitum autem hyemis gravissimæ hic incidunt tempestates.

te mpeſtates Menſib. Aprili & Septemb. opportune verſus auſtrum navigatur, Februario & Martio verſus Mecham in Mari Rubro : In auſtralibus partibus naves hic appellunt menſibus Januar,& Fabruar : ab Arabico ſinu initio Septembr. Ventus hic conſtanter ſex fere menſibus ſub Arctoa plaga totidemque ab Auſtrali parte perflat, paululum modo varians. Menſes Aprilis, Majus, & pars Junii immodico æſtu fervent,& ſane graviter intenſiſſimus calor noceret incolis, niſi hunc mitiores venti temperarent, Hæc Regio fere omnis abundat optimo tritico, hordeo, oryza, tum butyro, caſeo, ob immenſam armentorum copiam : in ſylvis innumeri ſunt cervorum, damarum, aliarumq; ferarum greges omniumque venationi expoſiti : equorum hic innumeri ſunt cervorum, damarum, aliarumque venationi expoſiti : equorum hic ingens eſt copia, ut & boum, camelorum, mulorum, aſinorum, elephantorum, rhinocerotum, &c.

ZEI-

ZEILANVVEL, VEL CEILON INSULA.

HÆC arbores perpetuo floribus aut fructibus onuſtas habet reperiunturque ibi mala Aſſyria ſuavitatis incredibilis. Mala medica, citria optima, aurantia, limones aliique nobiliſſimi fructus: adhæc palma, aromata, cinnamonum, cardamonum, cariophyllum, piper aliaque. utrum autem hic cinnamoni major creſcat copia an præſtantia, adhuc dubium eſt. Oryza parce hic provenit, quæ ex Regno Malabar & Caromandel eo copioſe defertur. Auri, argenti, cæterorumque fodinas metallorum multas habet, quas tamen Reges exhauriri non permittunt, quod eas theſaurorum loco in oſtentationem ſervent. Quidam arbitrantur, hoc ob illam fieri rationem, ne quis illis, cupidine auri illectus vim inferat. Ferrum, quoque linum, & ſulphur producit, ut & eboris ingentem vim. Ferarum omne genus ſylvas perrerrat, ut cervorum, luporum, hinnulorum, aprorum, leporum, cuniculorum, elephantorum: ſunt vero hic elephanti totius inde nobiliſſimi, & copioſiſſimi, quos

quos ita domant, ut etiam nonnullas adiscant artes, quas non nisi ratione præditus præstaret.

AFRICA.

PLeraque hujus loca inculta,& sterilibus arenis obducta sunt, idque vel ob situm cœli, terrarumque. In universum vasta magis, quam frequens est. Nonnullæ tamen ejus partes sunt eximie fertiles.

BARBARIA IN QUA REGNUM TUNETANUM.

HUjus Regionis aër cœlique qualitas varia est. Verno tempore cœlum habet mite, clemens,serenum: Æstas æstu laborat vehementissimo, imprimis Junio & Julio mensibus. In autumno autem calor est remissior, hyemali tempore frigus intensius,præsertim circa Decembrem,& Januarium, verum tempore duntaxat matutino neque tamen incolarum consuetudo, fert ad levandum frigus, ad focum accedere. Circa finem autumni tota hyems, magnaque veris pars, impetuosis ventis est obnoxia. Quin etiam

am grandinibus, fulguribus, horrendo tonitrui & similibus naturæ malis laborat: nec multis locis conferta nix deest. Ager dactylorum, malorumque punicorum ferax, sed contra frumenti sterilis est; qua propter ejus incolæ panem hordeaceum conficere solent. Fructuum præterea magnam fert copiam. habetque cerasa, ficus, poma, pyra, prúna, mala persica, armeniaca, cydonia, olivas, & similes. Abundat oleo, melle, saccharo, multijugisque armentorum, pecudum, atque ferarum gregibus. Alit quoque hæc Regio Dracones, elephantes, capras, bubalos, leones, pardos mustellas felibus similes, simiarum insuper ingentem multitudinem.

ÆGYPTUS.

TErra hæc quamlibet pluviæ expers sit mira tamen gaudet fertilitate hominum aliorumque animalium. Solum illius, Nilus bis in anno inundans, admodum reddit fructiferum, ut multis Veterum egregia de se extorserit elegia, ita Lucan.

Terra

Terra ſuis contenta bonis, non indiga mercis.
Aut Jovia in ſola tanta eſt fiducia Nilo.

Incredibilis eſt in Ægypto tritici, ſiliginis, hordei avenæ, ſabarum aliorumque leguminum, vini quoque optimi abundantia. Lætiſſimis floret paſcuis ut plurimum oleo caret, & rara habet ligna. Præter beſtias ſævas & noxias, animalia domeſtica copioſe nutrit: Volatilia in tanta ſunt abundantia, ut campos integros multitudine ſua ſternant. Camæleon etiam frequenter invenitur. Per totam autem Ægyptum pulli à Gallinis excludi non ſolent, ſed fornacibus calidis imponuntur ova, & ita calore pulli generantur, & excludantur. Metallis quoque hæc Regio valde abundavit, præſertim in partibus ad Æthiopiam vergentibus.

REGNUM MAROCCO ET FESS.

TErra Marocco amœniſſima eſt, abundat frugibus, & omnis generis leguminibus, tum oleo, melle, ſaccharo frugibus omnigenis dactylis, uvis, ficubus, pomis, pyris, armentis, capris quarum pelles & villi pannis contexen-

contexendis valde inſerviunt. Rerum quoque, omnium naribus gratarum hæc Regio feraciſſima eſt niſi quod hic partius colligatur frumentum, ut hordeum, milium, & panicum: Fructuum quoque magna laborat inopia, idque non tam ſoli ac cœli vitio, quam hominum negligentia.

Fez Regio, licet in quibuſdam locis prorſus ſit aſpera, frigidiſſimis montibus plena, & aliquot habeat ſolitudines ac deſerta ipſa tamen in ſe ſpectata, modo una ſui parte ſterilis, modo altera felix & fertilis eſt. Ager Cerealis bonus, proferens fruges, Vites, olivas, ficus, amygdala: reperitur hic etiam planta *Mauis* vocata, quæ valde dulcem fructum fert, eſuique gratiſſimum, magnitudinem mali citrei habet. Hunc Machumetici Rabini fructum eſſe dicunt, primis noſtris parentibus à Deo in Paradiſo interdictum.

CANARIÆ INSULÆ.

DIvites ſunt hordei, mellis, ceræ, ſacchari, arundinum, caſei. Habent etiam Oricelum herbam, qua panna colore puniceo tinguntur, vini quoque generoſi proventum. Sunt

Sunt insuper palmiferæ, nuce pineæ abundantes, pecore & avibus plenæ. In Ferri insula, hoc admirari merito debet, quod cum omnis terra aquis plane destituta sit, & ardenti cœlo, solo arido squalentes æstu homines pecudesque reddat, arbor una tantum proferat humorem, ut omni animali potum large præstet. Eam namq; nubecula quædam circumdare dicitur, ex qua ita humectantur folia, ut perpetuum liquorem stellare faciant, quem incolæ vasis ad arborem dispositis excipiunt, tantaque copia colligunt, ut toti insulæ affatim usum præstet.

GUINEA CUM INSVLIS S. THOMÆ.

Aër hic valde noxius est, tum ob cœli caloriſque intemperiem, tum propter pluvias, quæ vermes atque putridinem, generare solent. Abundat vero hordeo, oryzo, gossypio, auro, ebore, ovibus & gallinis. habet etiam genus quoddam Aromatis quod pipere conforme est Lusitanis *Melegneta* vocatur; aliudq; duplo efficacius pipere Calicuciano, quod vocatur Lusitan. *Pimeenta del Rabo*, hoc est piper vilescat. Animalia, quæ ibi nascuntur,

tur hæc ſunt: Elephanti, ſimiæ, pavones, pſittaci cinericei, &c.

ABYSSYNORUM ET CONGI REGNA.

IBI locorum æſtas in anno gemina eſt, & ferme perpetua, ut uno eodēque tempore in aliis agris ſementis, in aliis vero meſſis fiat. Alicubi ſinguli menſes novos producunt fructus, hordeum vero, milium, ſeſemum, ciceres, fabas aliaque legumina abundanter profert. Hebeno Perſico & Siliqueſtro abundat. Hic quoque leguntur aromata piperis, cinnamoni & zingiberis. Saccharum etiam in arundinibus copioſe profert, quod tamen coquere incolæ ignorant. Vitis iſtic plurima creſcit, vini tamen nullus uſus, niſi in aula Regis & magni Patriarchæ, mala medica, citrea, limones, ſponte ſua hic in magna proveniunt copia: mellis ad hæc ingens vis eſt, nam apes etiam in ipſis hominum habitationibus colonias examinum ponunt, quæ tantam ceræ conficiunt abundantiam, ut tota regio cereis tantum utatur candelis. Linum quamvis hæc habeat Regio, uſu tamen illius telæ conficiendæ caret. Metalla habet auri, argenti, æris verum ea

purgandi rationem non novit. Insuper omnis generis producit animalia, & aves, ut elephantes, leones, tigres, pardales, lynces, Rhinoceerotes, simias, cervos, boves, oves, capros, asinos, camelos, equos. Uti autem Ægyptum ita etiam hanc Regionem vexat peculiare locustarum malum, quarum tantus quandoque excrescit numerus, ut aerem velut nebulâ obducant: Totis etiam agminibus in aliquam irruunt terram, omnemque segetem ac messem, arborum folia, velut palantes milites devastant: ita ut incolæ propter alimentorum penuriam in alias terras commigrare compellantur.

CONGI REGNUM.

MIra hic est cœli clementia, & aeris incredibilis temperies, cum nunquam vel intensior hyems vel adurens calor nimium sæviant. Plena est Regio frugibus, tritico, milio, oryza, arboribus fructiferis. Palmarum plures numerat species, unam quæ dactylos producit, alteram, quæ nuces Indicas, tertiam, ex qua oleum, vinum, acetum, panem conficiunt. Ex arboribus succus quidam lacti similis destillat qui in principio dulcis, post temporis tract-

tractu acrescit. E fructuum pulpa oleum exprimitur à nostro butyro haud differens, cujus usus in cibis, unctionibus in lucernis est. Hortis omnis generis herbæ, & fructus etiam conciliant, ut pepones, melopepones, cucumeres, & similes. At hæc omnis illa Regio metallorum dives est, etiam argenti; Animalium diversi generis hic quoque ingens est copia, ut sunt; elephantes, Zebra quoddam animal ita illic dictum, albi leones, tigres, bubali, onagri, lupi, vulpes, cervi, lepores, cuniculi, simiæ, chamæleon, & serpentum multa genera. Tum porci, oves, capræ: contra carent equis, bobus, aliis jumentis humanis usibus necessariis. Abundat insuper Zibethis ita dictis, odoris prætiosi. Nutrit quoque varii generis aves imprimis psittacos, virides, & cinericios, Struthiones, pavones, gallinas Indicas, perdices, & anates. Habet & phasianos, columbas, turtures, aquilas, falcones, accipitres, pellicanos, ardeas, &c.

AMERICA.

HÆC Regio in universum multiplex & varia est. Priusquam illam adierent Europæi, expers

erat frumenti & vini. Ejus loco tulit mayzium leguminis genus. Ad faciendam ſementem terram non arant, ſed effoſſis modicæ altitudinis ſcrobibus, tria quatuorque grana in unum demittunt, terraque operient. Singuli culmi tribus quatuorve paniculis onuſti adoleſcunt, quorum ſinguli grana centum & amplius ferunt. Mayzi ſcapus hominis ſtaturam excedit, & in quibuſdam locis bis quotannis colligitur. Arborum hic quoque hæ terræ multitudine abundant, quæ quaſdam uvas agreſtes ferunt, habent arbores olivarum feraces, ſed quæ ingrati ſaporis, pejoris vero odoris ſunt. Varias inſuper fructuum ſpecies, quas abunde habent: ut ſunt, platani, pineæ, guiavæ, mamei, granavanæ. Ferax præterea ipſa Regio eſt ſacchari, goſſypii. Habet etiam aromata, margaritas, gemmas, auri argentiq; plenas ſodinas, conchinillam, pretioſiſſimum mercis genus. Boves ante non habuit, neque equos, aut mulos, aſinos, oves, capras, canes: qua propter mirum videri non debet, ſi indiginæ viſo primum equo tam grandi animali obſtupere. Regio animalia nutrit varia, nota pariter hactenus ac ignota, inter alia prodigioſum reperitur animal, cujus ventri

natura

natura alterum ventrem marſupii inſtar appendit. Hoc quoties demigrat, catulos eum in locum recondit, & portat. Collo roſtroq; vulpem, manibus & pedibus cercopithecum, auribus veſpertilionem repreſentat. Eſt & aliud animal quod incolæ Caſcuy vocant, nigri porci formam habens, duriſſimo corio, piloſum, exiguis oculis, auribus patulis, angulis, fiſſis, brevi promiſcide, ut cliphas, barritū adeo edens horibilem, ut homines obſurdeſcant. Præbet autem carnem ad edendum ſuavem. Reperies etiam ibi montanorum aprorum, tigriumque ſæviſſimarum ingentem copiam: tum vero leones, ſed timidiores, ut qui viſo homine fugiant. Sunt & pavones, phaſiani, perdices aliaque varia avium genera.

NOVA BELGICA & NOVA ANGLIA.

QUI primum ad has oras expoſiti ſunt, de proceritate arborum mira narrant, egregio ſane luxuriantis ſoli documento. Reperta eſt ibi vitium ſylveſtrium: nucumque ſumma abundantia, quarum fructus à Belgicis nonnihil diverſi ſunt; nam & minores, & duriore adeoque leviore cortice

cortice tectæ. Maizium præstantissimũ, incredibili reddit fœnore: ligumina quoq; varia, phaseolos præsertim mira & jucundâ colorũ varietate; peponum elegantissimas species, angurias & similes fructus, ut nihil hic nisi impigra hominum industria desideretur. Hollandi autem jam variis locis triticum atque alia frugum genera, linum & cannabim serere cœperunt, quæ omnia benignius solum optime patitur. Herbarum hic omnis generis passim copia exuberat, quarũ quædam elegantissimos flores ferunt, quædam medicinæ admodum sunt utiles. Sylvæ magnam passim alunt ferarum copiam, imprimis cervorum tum aliorum quadrupidum. Aves diversi coloris multas reperies, tum vero flumina piscium nominatim salmonum, sturionum & aliorum plena. Cœli temperies ab illa, qua Belgæ fruuntur, non multum discrepat. Nam licet multis gradibus propius ad Æquatorem accedat, quam Holandia, non minus hic tamen hybernis mensibus frugus est, quam in Hollandia, gelu quoq; satis intensum, crebræque & altæ desidunt nives, diuq; terram opeirunt, eadem fere qua apud Belgas annorum varietate. Similis quoq; hic ventorum inconstantia,

&

& æstate crebra tonitrua, fulgura & varii nimbi, adeo ut natura nullam aptiorem terram hac, coloniis Belgicis deducendis apperire, & audentiori hominũ solertiæ satisfacere potuerit; præsertim quum hic nihil desit, quod necessitas & voluptas humanæ postulent. Sola tamen hic armenta & jumenta desiderantur, quæ tamen huc ex aliis locis levi transportantur negotio, cum illis pabulum abunde sufficiat. Vites quoque si melius colerentur, uberiorem redderent proventum.

NOVA ANGLIA.

Hujus aer versus mare frigidior est, idque partim propter Oceani viciniam, cujus inconstans motus radiorum reflexum frangit, partim etiam ob vaporum ascendentium copiam, qui æstum mitigant. Mediteraniæ vero Regiones mediocriter calent, certisque exprimentis comprobatum est, easdem Regiones longe esse frigidiores. quæ solem ascendentem spectant, quam quæ descendentem.

Solum hic inprimis est fertile, & frumenti tam nativi, quam aliunde allati ferax. Littus portubus abundat, &

quam plurimus insulis obsitum est, quæ plantatas varias exhibent arbores, quercus, cedrum, pinos, juglandes, castaneas, prunas.

INSULÆ BERMUNDES.

VOrticosum in ambitu habent mare, optimorum tamen piscium fœcundum. Hic aliquot porcorum greges inventi, testudinum marinarum ingens est numerus, quæ inter prima edula, quæ hæc insula hominibus præbet, numerantur. Avium variarum ingens copia, littoralium, præsertim & aquartilium. Inter arbores sylvestres ingentes habet cedros: Unionum dives etiam est, palmi, & palmites imprimis laudantur. Solum diversum exhibet colorem; roscidum est deterius subalbicans & nigricans mediocrem habet fœcunditatem; subfusum judicatur maxime fertile. Putei, dulces subministrant latices, cum hic nulli fontes, amnes vel torrentes frequentes inveniantur.

VIRGINIA.

HÆC omnia ubertate miranda profert, quæ mortalibus non tantum utilia, verum etiam jucunda esse

esse possunt, uti vinum, oleum, fabas, pisa, pepones. melones, castanea, nuces juglandes, fraga, nitrum, alumen, picem aridam & liquidam, ferrum, cuprum, sericum, linum, canabim, gemmas, herbas, quas inter tabacum est, cujus apud illos *Uppowoc* dicti tantum habetur pretium, ut, Deos suos illo delectari mirum in modum autument; quare interdum sacros ignes struunt in quos aliquantum hujus pulveris sacrificii loco injiciunt, in mari tempestate jactati ad placandos Deos aliquantum in aerem & aquam spargunt. Cerealem agrum leviter colunt, nec eodem quo apud nos laboris ordine, sed effossis scrobibus, terræque leviter motæ semina committunt, quæ magno ubere fructus incolis reddunt. Animalia, quæ hæc terra producit sunt; ursi, cervi, lepores, leones, lupi, galli, & gallinæ Indicæ, columbæ, perdices, grues, cygni, anseres, psittaci, falcones, & accipitres.

FLORIDA INSULA.

HÆC Regio satis est amœna, & omnium fructuum fertilis. Incolæ magnam habent annonæ curam, Maizium Martio & Junio mensib. serunt, tertio dein mense ma-

turum colliguni, ac in publica condunt horrea, mox singulis pro cujusque necessitate distribuunt, Beata quoq; hæc Regio aliis est fructibus: moris, cerasis, castaneis. uvis, mespillis, prunis aspectu quidem pretiosis, sed saporis sequioris. Animalia quæ ibi generantur varia reperies. cervos, hinnulos, capras, ursos, leopardos, lupos, canes sylvestres, lepores, cuniculos. Nec desunt volatilia, pavones, perdices, psittaci, columbæ, palumbi, turtures, merulæ, cornices, accipitres, falcones, ardeæ, grues, ciconiæ, anseres sylvestres, anates, corvi aquatiles. Crocodilorum ingens hic est & nociva copia, contra quos, velut hostes armatos, semper excubare opus habent indiginæ: qui neque serpentibus noxiis carent.

HISPANIA NOVA.

HÆC cum Æquinoctialē inter & Cancri tropicū pæne concludatur, dierum noctiumque exigua habet discrimina, perpetuoque velut Vere gaudet. Julio, Augusto, atque Septembri mensibus, assiduæ pluviæ, leniumq; ventorū ab utroq; mari gratissimi flatus calorem solis temperant.

Atque

Atq; hæc vera eſt ratio, cur iſthic ſub Tropico æſtivo commodæ reperiantur habitationes, contra veterum philoſophorum opinionem. Aerem ergo habet temperatum, quamvis ſub torrida jaceat Zona. Regio ipſa mineris abundat opulentiſſimis argenti, ferri, æris Goſſypio, ac omnibus, quos in Europa novimus abundat fructibus. Nominatim tritico, hordeo, omnis generis legumini-bus, oleribus, lactucis, braſſicis, raphanis, cæpis, porro, petroſelino, repis, paſtinaca, pomis, betaſphinachio, piſis, fabis, lenticulis, malis aureis, limonibus, malis, citreis, perſicis, armeniacis. Pyra pomaq; creſcunt mediocriter, pruna rara, ficus ſunt frequentiſſimi. Malorũ cotoneorũ mirificũ habet proventũ, mala granata ſatis multa. Ceraſa hactenus non admodum feliciter provenere. Caſtaneas non habent. Vineas uvarum feraces ſatis habent, quæ tamen conficiendo Vino non ſunt idoneæ. Præter hac nobiliſſimum habet balſami liquorem, paris cum Ægyptiaco bonitatis. Habet præterea multas alias fruges, & fructus nobis incognitos. Aquæ ibi ſunt quæ pituitoſis articulorum doloribus aliiſque curandis morbis valde ſunt utiles. Animalia producit varia, quorum tria

ſunt

ſunt genera; unum eorum, quæ ex Hiſpania eo ſunt delata, alterum quod eſt ejuſdem ſpeciei cum iis, quæ in Europa habemus, & tamen eo ab Hiſpanis non eſt tranſlatum. Tertium genus eſt, quod Indis proprium. Primi generis ſunt oves, vaccæ, capræ, porci, equi, aſini, canes, feles aliaq; ſimilia animalia: iſtiuſmodi omnia in India orientali reperiuntur. Ab Hiſpanis eo tranſlati ſunt Leones, tigres, urſi, apri, lepores, cuniculi. Quæ natale producit ſolum, ſunt; *Sainos* inſtar exigui porci animal, umbilicum in ſpina dorſi habens: hæc ſpecies animalis turmatim ſylvas pererrat. Avium non minor eſt varietas, ut anſerum, anatum, coturnicum, gallinarum, quæ noſtras longe ſuperant.

HISPANIOLA & CUBA.

SAcchari, pecudum & *Yucæ* feraciſſima Inſula, ex cujus radicibus conficitur Cazabi panis indigenarum. Nec legumen nec triticum fert. Ditiſſima eſt æris, aliorumque metallorum, fodinarum, nec non auri minoris. Aeris hic calidior eſt temperies, vehemenſque matutinus æſtus. Lætiſſima

ma habet pascua, quo fit ut incredibilem equorum, boum, vaccarum, pecudum &c. habeat copiam, quæ tantum corii causſa mactantur, Vermiculorum hic genus reperitur hominibus valde infestum, (*Niguas* vocant) qui se digitis pedum inserunt, cutemque inter & carnem subsistunt, ut sæpe non nisi cauteriis aut membrorum detruncatione separentur.

REGNVM GRANATENSE.

REgio sale abundat, quem ad alias Provincias, præsertim montanas flumini grandi proximas, magno quæstu Barbari traducunt. Obsonium Barbarorum ferina, cujus hic magna copia est. Volucribus haud æque abundat: turtures ibi pauci, plures anseres, pisces abundantes, pascua crebra, triticum & frugus non desunt. Metalla auri, æris, chalybis sufficiunt.

VENEZUELA.

REgio fertilis & feraciſſima est, gemina quotannis gaudet messe, ad hæc ita pascuis abundat, ut ingenti numero armentorum ac pecudum alimenta præstet. Quapropter nomen granarii apud alias accepit. Provincias.

vincias. Ingens etiam est copia farinæ triticeæ, panis biscocti, cascorum, suillæ, & pannorum gossypiorum. Abundat ad hæc omnis generis feris, quæ venationes valde reddunt acceptas. Neque solum inops est metallorum, præsertim auri, & quidem purissimi. Animalia tam terrestia quam volatilia multa reperiuntur, Leones ita habet imbelles & timidos ut fustibus à Barbaris conficiantur Tigres contra tam feroces & incultas, ut alias immanitate & robore feras superent. Ager undique sacchari cannis luxuriat admodum Zingeribus radices lætè proveniunt: mellis & picis habet copiam, neque triticum tellus negat. cervorum & cuniculorum Americanorum magna est frequentia, ut & serpentum noxiorum. In arborum cavitatibus apum invenies examina itidem mellificantia.

GUIANA.

HIC anni tempestatem pluviæ gravissimiq; ventorum flatus & contra malacia faciunt. Neque soli eadem est ratio nam circa littora humile est, &, nisi, auræ ab oriente valide flantes æstum perpetuo temperarent

rent, nullæ paterent hominibus habitationes. Jam vero incolis eſt frequens, tam ob fluviorum commoditatem, quam ſoli fertilitatem, cœlique clementiam & ſalubritatem. In mediteraneis montes aſſurgunt, quorum quidam nonnulli ſementem admittunt, alii penitus ſunt aſperi & infœcundi. Inter hæc littora monteſque ſolum modice in altum porrectum jacet aliis longe fertilius & amœnius. nemoribus, atque lucis, campis, pratis mira varietate diſtinctum. Inſuper multis amnibus irriguum, torrentibus frequens, neque prorſus inops metallorum. Indigenas duplex inſectorum vexat genus, culices & nigui, hi vocantur *Mapiery* à nigri, alteri *Silo*.

PERUVIA.

IN hac agri ſunt permulti, circa fluminum ripas viriditate ac fœcunditate inſignes, quos fluvii irrigant. Unde goſſypium varii coloris & omne frumenti genus copioſe redditur incocola viles habent pro eſca piſces, carneſque crudas. Hic Leones reperiuntur, urſi nigri, lupi, capreoli, & quoddam animalis genus camelis ſimile. Ex hujus

lana

lana. veſtes gauſapinas & alia conficiunt. Terra omnis elementi gaudet temperie, variaque alit genera animalium & herbas oleraque plurima producit, ut & herbam quæ in deſperatis vulneribus ultimum præbet auxilium. Frumentum tanta fœcunditate creſcit, ut centeſimum & ducenteſimum reddat fœnus, Auri argentique inter omnes totius orbis Regiones Peruvia ditiſſima eſt. Cum non tantum argenti fodinas, ſed etiam fluvios auriferos habeat, qui rutilantibus arenis & pellucidis undis limpidi, aureum fluxum vehunt.

BRASILIA EX DESCRIPTIONE GUILIELMI PISONIS, M. D. QUI IPSE OMNIA EXPLORAVIT. LIB. I.

HUjus Regionis tellus amœniſſima eſt, planitiem longe lateque porrectam, & irriguum ſolum habet. Dicitur Vergea Luſitanis, multorum fructuum ferax, ſaccharum, ut & credita quæque ſemina, cum multo reddit fœnore. Prata, campoſque apricos, licet minus æſtate menſibus tamen aliis, perpulchre virentia exhibet; Loca,

ca, quæ messem negant, pabula plurima suppeditant. Frumenta benigno solis calore, solique facilitate, in germen brev producuntur; Exotica tamen semina tardum reddere solent proventum. Februario & Martio mensibus, cum incalescentem solis vapore æstatem humidior subsequitur aer, plantæ & semina terræ committuntur, idque prima vespera vergentis, in noctem diei fieri consuevit ex hac ratione, ne radii solares vel intense frigida terra commissa perdant semina. Plurimæ arbores fruticesque, toto fere anni tempore flores & fructus feliciter producunt. Mos etiam est vineas diversis putare mensibus, unde non ignobile vinũ vel ipsum Creticum æmulans exprimitur. Nobiliores in hac terra hæ sunt arbores; *Acaju*, *Caja*, *Ubipitanga*, *Anda*, *Zabucajo*, *Murecy*, *Jetaiba*, *Araticu*, *Guabiraba*, *Ficus* & *Maiirtus Americana*.

Hæc Regio insuper variarum herbarum paluſtrum genere fruticumque mirâ varietate luxuriat, ut non tantum solum, verum etiam aquas amphibiorum æque ac piscium latibulis diceres destinatas. Fluminum ostia, ubi paludem aqua maritima inundare solet, ingens ostrearum & cancrorum multitudo perreptare

perreptare solet. Pars Brasiliæ, quæ in colles acclivis est, & in vastos montes, saxisque impervios attollitur, fertilissima raroque sterilis est arbustis sylvisque passim vestitur densissimis. Nemora non vestiuntur quotannis foliis, nec iis privantur. Neque omnis arbor foliis vidua conspicitur, sed una parte desidente altera tamdiu manet, donec prior repullulet. Contingit sæpe, quod varii generis phaseoli, arundines proceræ, hederæque perpetuo maneant virentes, quæ in tantum excrescunt altitudinem, ut sylvarum opaca referant. Iter vergultorum umbras homines & feræ nutriuntur.

Ad hæc sicut Peruvia ex æstuantibus cavernarum latebris crebro terræ motum patitur, ita his Americæ orientalis tractus nunquam est obnoxius.

Cæterum illius ingentes solitudines, jugis in occidentem excurrentes Antropophagi tenent. Qui vastissimos illos & confragos saltus os penitius explorarunt, testantur, se non minus fertiles ibi reperisse montes, & convalles, quam in aliis maritimis bene habitatis locis. Id quod quidem Auctor ex vero esse comperiit, in eo tamen differt ab iis, quod quo altius ad mediteranea

loca

loca penetres eo plura metallica ignobilioraque reperies corpora, sed fontium inopiam, rarioresque amnes, æstum diuturnum majorem, noctis intensiora frigora, frequentiores vero lacus, paludes stagnaque piscibus refertissima. Hybernæ pluviæ æstivam aquæ penuriam compensant. Feræ piscesq; miram habent pinguedinem, ut alia in iis parandis pinguedine opus non habeas.

Quod aerem spectat, hoc Brasilia præstantissima totius Americæ pars est, jucunda salubriq; temperie ita excellit, ut merito cum Europa atque Asia de clementia aeris contendat. Cœlum quidem nubibus ex oriente in occidentem sæpius videbis obductum, sed tamen iis rarissimis atque tenuissimis, inque sublimi aere extensis, diebus pluviis exceptis. Sol non minus occidens, quam oriens irratortis oculis adspici potest, in tantaque magnitudine apparet, ut ejus Diameter mensurari queat. Circa vesperam mira cœli est serenitas, nec ullis obnoxia vaporibus. Noctes adeo claræ apparent, ut Vetus & Novilunium uno eodemque die conspiciantur: litteræque ad quadrantem lunæ commode legi possint. Cœlum crebris fulguri-

bus

bus absque tonitru, coruscat, tempe-
pestate vel maxima serena siccaque.
Tonitrua si quæ circa æquinoctia audi-
untur rarissime, sine fragore tamen, &
cum imbribus suboriuntur : multæ
Irides, Helones, Dracones ignesque ap-
parent.

Ad hæc præter nativa balsama, olea,
nec unius generis mel, herbis & radici-
bus medicis abundat, quæ studiosiss. mam
quoque exhibet culturam. Animalia
insuper omnia, boumque imprimis a-
bundantiam gignet.

Pisces squamatos, asperos, uti fluvii &
lacus, ita mare vicinum abunde suppe-
ditant ; qui in hisce Regionibus ita sa-
lubres judicantur, ut neque febrici-
tantibus noceant: cancris, testudinibus
squillis, conchis, ostreis, omnibusque
testaceis & crustatis piscibus præsertim
paludes abundant. Balenarum quoque
hic mensibus pluviis magna apparet
copia. Inter venenata Brasiliæ animalia
serpentes primum occupant locum,
quorum nomina & numerum vid. ap.
Auctor. l. 3. p. 41. De variis frugum
& fruticum generib. vid. Georg. Marc-
grav de Liebstad. Misnic: historiam re-
rum natural. priori auctori adnexam,

CHILES.

CHILES.

HÆC Regio magna ſui parte plana eſt, vel modicis aſſurgens collibus. Ad hæc amœniſſima & maxime fœcunda, nec ſecus ac Hiſpaniæ omnium frugum ferax. Vina producit copioſa, ut & triticum, paſcuis luxuriat, ſalubri aere pollet, medio inter fervorem ſolis & frigus temperamento. Gramina propter humorem perpetuo virent, neque in montanis arbores folia deponunt. Paſcua ex decreto Regis, ut & venationis & piſcationis jus, promiſcue incolis conceſſa ſunt. Hic mos eſt, peregre advenientibus & viatoribus gratis hoſpitium victumque præbere. Fructus habent ſaporem inter ſuavem atque acrem medium, nullibi perfectius, puriuſque aurum eruitur, quam hic. Indiginæ colore ſunt candido, ſed hirſuta fronte, id quod ab humidiore provenit aere. Atque hæc de Indole locorum pro inſtituto breviter dixiſſe ſufficiat.

TERRA AUSTRALIS.

HAnc quod attinet terram, hactenus incognitam dictam, certum eſt, illam geographis adhuc nondum

dum esse perspectam, sicut partes aliæ Septentrionales cognitæ sunt. Ponitur tamen nihilominus in hac Australi terra Psittacorum Regio, terra del Fuego sic dicta, quod in parte sinistra conspecta fuerit magna ignium copia, quæ caussa fuit, cur hanc Regionem sic vocarent, & judicarent se ab incolis esse conspectos.

Si vero Regiones ab Æquatore Septentrionem versus gradibus. 15. distantes expendantur, luxuriant omnium rerum affluente copia, nec possunt iis quæ pari intervallo Austrum versus ab Æquatore dissident, esse infeliciores. Qua de re non desunt Geographi, qui Principum ac Rerum publicarum Christiani Orbis excitent industriam, ut quoq; ad has lustrandas terras, conjunctis viribus accingantur: ipsis non minores laborum fructus, quam quos ex aliis inventis perceperunt terris, audacter promittentes.

FINIS

Totius

RHETORICÆ

ADUMBRATIO.

- tropos, *mores*; quorum sunt.
  - species, 4.
    1. Metonymia, *transnominatio*
    2. Ironia, *irrisio*, *simulatio*
    3. Metaphora, *translatio*.
    4. Synecdoche, *comprehensio*.
  - communes affectiones
    1. Catachresis, *abusio*.
    2. Hyperbole, *superlatio*.
    3. Metalepsis, *transumptio*.
    4. Allegoria, *inversio*.


Continet
elocutionis
schemata,
habitus
dictionis,
& sunt
1 Epizeuxis,
subjunctio.
2 Anadiplosis,
reduplicatio.
3 Climax.
gradus, scalæ.
4 Anaphora,
relatio,
5 Epistrophe,
conversio.
6 Symploce,
complexio.
7 Epanalepsis,
resumptio.
8 Epanodos,
regressio.
9 Paranomasia,
agnominatio.
10 Polyptoton,
variatio casuum.

1 Ec

- Pronunciationem,
  - sententiæ & sunt
    - 1 Ecphonesis, *exclamatio.*
    - 2 Epanorthosis, *correctio.*
    - 3 Aposiopesis, *reticentia.*
    - 4 Apostrophe, *aversio.*
    - 5 Prosopopœia, *fictio personæ.*
    - 6 Aporia, *addubitatio.*
    - 7 Anacœnosis, *communicatio.*
    - 8 Prolepsis, *occupatio.*
    - 9 Prosapadosis, *explicatio.*
    - 10 Epitrope, *permissio.*
    - 11 Synchoresis, *concessio.*

Rhetorica est Ars ornatè dicēdi. Cujus partes sunt duæ { expressio in { tropis, sive immutatis dictionibus. / habitu, vide *Tab.* 9. } / pronunciatio. }

Tropus est Vocis è nativa significatione in alienam immutatio.

Cujus sunt { species quatuor, *Tabulis.* 1, 2, 3, 4, 5, 6, 7. / affectiones quatuor. *Tab.* 8. }

species sunt { 1. Metonymia, *Tabulis* 1, 2, 3, 4. / 2. Ironia, *Tab.* 5. / 3. Metaphora, *Tab.* 6. / 4. Synecdoche, *Tab.* 7. }

Metonymia est translatio nominis. { 1. Causa pro effectis, *Tab.* 1. / 2. Effecti pro causa, *Tab.* 2. / 3. Subjecti pro adjunctis *Tab.* 3. / 4. Adjuncti pro re subjecta, *Tab.* 4. *Tab.* 1. }

Invento-

I Causæ
- efficientis.
  - principalis
    - Inventorum pro inventis: nomina fictitiorum numinum: *Ceres* pro frugibus. *Bacchus* pro vino.
    - Authorum, nomina Scriptorum, ut *Cicero*, *Terentius*, &c. pro illorum scriptis.
  - Instrumenti pro re effecta: *Lingua* pro sermone. *Manus* pro Scriptura. *Gladius* pro cæde. *Arma* pro bello.
- Materiæ, pro re inde parata: *Æs*, *Argentum*, *Aurum*, pro nummis æneis, argenteis, aureis. *Ferrum* pro gladio. *Pinus*, *abies*, pro navi.

Tab. II.

II. Effecti

1. In adjectivis: Mors *pallida*, *frigida*, quæ mortuos, pallidos, frigidos dat. Ira *præceps* reddens præcipites. Victor à *insolens*, dans insolentes. Hinc Oratorum & Poëtarum epitheta.

2. Substantivis
- Nominibus: *Scelus* pro sceleſtus. *Carminibus* metus omnia abeſt, id eſt, poëtis.
- Christus *redemptio*, id eſt, redemptor.
- Verbisr *Pallet*, pro metuit.

Tab.

Tab. III.

3. Loci
- 1. Pro inhærente qualitate: Non tibi plus *cordis*, ſed minus *oris* ineſt.
- 2. Continentis pro re contenta: *Calix, populum, cantharus, cadus, patera*, pro vino, potu. *Crumena* pro nummis *Mantica*, id eſt, vitia. *Focus*, id eſt, ignis, *&c.*
- III. ſubjecti
  - pro incolis: *Urbes*, id eſt, cives. *Carcer*, id eſt, captivi. *Anglia, Italia, Gallia, Germania*, ro Anglis, Italis, Gallis, Germanis. *Terra*, i. e. homines. *Æther*, id eſt cœlites.
  - Pro rebus inibi geſtis: *Forum, ſubſellia roſtra, curia*, pro actionibus forenſibus. *Academia, Lycæum, Schola*, pro doctrina *Sylvæ* pro venandi ſtudio.

4. Poſſeſſoris, pro poſſeſſis: *Vcalegon* ardet, id eſt, domus. *Apud me* eſt, id eſt, domi meæ. *Oceanus*, *Tethis*, *Doris*, *Neptunus*, *Amphitrite*, id eſt, mare. *Lares*, *Penates*, id eſt, ædes.
5 Imperatoris pro exercitu: Cæſi ſunt ab *Annibale*, id eſt, copiis ejus. *Marius* repreſſit, id eſt, Marii exercitus. *Chriſtus baptizavit*, id eſt, diſcipuli.

6. Advocati pro clientibus: Reſtituiſſe *te* dixiſti, nego *me* eſſe reſtiturum.
7. Temporis pro actionibus: Oculis aut pectore *noctem* accipit, id eſt, ſomnum. *Solſtitium* (id eſt, æſtum) pecori defendite. Ager gravidus pampineo *autumno*.
8. Rei pro ſigno: *Jupiter*, *Apollo*, *Æneas*, pro imaginibus Jovis, &c. *Amaryllis*, pro carmine de eadem, *Orpheus* & *Sylvæ*, id eſt imagines.

Tab. IV.

IV. Adjuncti ſcil

1. Virtutum pro bonis, vitiorum pro malis, qualitatum pro perſonis: *Juſtitia* pro juſto. Mortalia temnitis *arma*, id eſt, armatos mortales. Armatum *funus*, id eſt armati funebres.

2. Signum pro re ſignificata: *Sceptrum* pro regno. *Faſces* pro imperio. *Toga* pro pace: *Arma* pro bello: *Agnus* pro Chriſto: *Claves* pro proteſtate eccleſiaſtica: *Gladius* pro civili.

3. Temporis pro ſubjectis rebus: Nulla *ætas*, id eſt, homines nullius ætatis: Aſpera *ſæcula*, id eſt, homines: *Dies* mali ſunt, id eſt, homines: *Juventus*, id eſt, juvenes: *Senectus*, id eſt, ſenes.

4. Res locata pro loco: Te quæſivimus omnibus *libellis*, id eſt, bibliothecis. *Ludus* pro circo.

Tab. V.

Ironia eſt Tropus è contrario contrarium indicans:

- eſtque
  - uſitata
    - perſonæ
      - Affirmatæ, ubi ex alia perſona ſignificatur alia: Tum credo cum *Me* arbuſtum videre Miconis incidere: id eſt, per *Me* intelligit Damœtam.
      - Negatæ, ubi quid de una perſona ita negatur, ut de altera affirmetur: Nec *in his quiſquam damnatus & exul*: Id vult, Ajacis, patrem exulaſſe.
    - rei
      - Affirmatæ, ubi contrarium latet: Salve *bone vir*, id eſt, male. *Curaſti probè*, id eſt, negligenter.
      - Negatæ, ubi contrarium dicitur: *Non eſt* ebrius, id eſt, *eſt*. *Non* expectant te Manliana caſtra, id eſt, ardenter optant.

Apophaſis,

peculiaris { Apophasis, quâ contrarium dicimus ei, quod dictum volumus: *Nil dico. Quid memorem, efferam, repetam*, &c. Paralepsis, dissimulatio reticendi quæ vehementer objicimus: cum formulis, *Prætereo, mitto, taceo.*

Percipitur Ironia, 1. Pronunciatione, 2. Personis, 3. Re.

Tab. IV.

Metaphora est Tropus à simili ad simile; ad unum vocabulum contracta similitudo: Homo homini *Deus*, id est, quasi Deus. *Ferreum* pectus, id est, quasi *ferreum*. Durior mollienda his formulis, *Si ita dicam, si sic loqui liceat, si verbis audacia detur*, &c.

Tab.

Tab. VII.

Synecdoche ex toto partem dat, & contrà è parte totum.

- est que
  - partis
    - membri pro integro: *tectum*, pro domo, *mucro* pro gladio.
    - singularis pro plurali
      - In nominibus, *Anglus* pro Anglis.
      - Verbis, *Scias*, id est, sciamus, sciant.
    - speciei
      1. Cum nomen proprium Viri qualitate præcellentis, pro aliis, ipsa qualitate præditis, ponitur: ut *Thraso* pro glorioso, *Sauromatæ* pro remotis.
      2. Cum numerus infinitus, ingens, pro minori certo ponitur: *innumeri:* valde multi. *Sexcenta* licet proferre, id est, quamplurima.

Integri

totius
- Integri pro membro: *Xanthus* pro undis. *Elephantus* pro dentibus. *Sylvæ* pro arboribus. *Pontus* pro fluxu. *Exercitus* pro parte. *Nos* pro ego.
- generis pro specie
  1. Qualitas pro viro præcellenti: 1. In appellativis: *Poëta*, pro Virgilio. 2. In patronymicis: *Tydides*, pro Diomede.
  2. Cum vixisse, fuisse dicimus, quæ jam non sunt: *Fuimus* Troës.

Tab.

Tab. VIII.

Affectiones Troporum ſunt quatuor:

unius

1. Durioris catachreſis:
- Metonymia, *Pateras* libate, i. e. vinum.
- Ironiæ, *Sperare* Deos, i. e. timete, *Squallet* auro, id eſt, ſplendet.
- Metaphoræ, *Vir* gregis, id eſt, caper. Capitis *nives*, id eſt, nivei.
- Synecdoches, *Ungula*, pro equo.

2. Audacioris Hyperbole:
- exceſſu Auxeſis
  - Metonymiæ, Cum Ariſtidem ipſa *juſtitia* juſtiorē dicimus.
  - Ironiæ, *optimè*, id eſt, peſſimè.
  - Metaphoræ, Eſt mihi *Deus*, id eſt, patronus.

Synec-

vel { defectu { Sinecdoches, *Magnificus*, pro liberalis. Tapinosis, extenuatio. Meiosis defectum auget: *Pygmæus*, id est, homunculus. *Mutus*, id est, non respondens.

3. Uno

plurium
- 3. Uno verbo, Metalepsis: Hinc movet *Euphrates*, Illinc Germania bellum; *Euphrates* pro Mesopotamia, per Metonymiam adjuncti: Mesopotamia pro orientalibus, per synecdochen speciei.
- 4. Pluribus, Allegoria:
  - Metonymiæ, Sine *Cerere*, & *Libero* friget *Venus*.
  - Ironiæ, Heus *bone vir*, *curasti probe*.
  - Metaphoræ, Dat veniam *corvis*, vexat censura *columbas*.
  - Synecdoches, exire ex *urbe Consul hostem* jubet.

Nota. Quo ex genere rerum cœperis, eodem definendum est.

Fab.

Tab. IX.

Habitus ſive Figura, eſt ornatus orationis in ſono & ſenſu:



excla-

- sensus mentis
  - deliberatione, logismo.
    - exclamando: Exphonesis 10
    - revocando
      - antecedens — Epanorthosis 11
      - consequens: — Aposiopesis 12
    - convertendo ad alios: — Apostrophe 13
    - imitando alienam personam: Prosopopœia 14
  - disceptatione dialogismo.
    - interrogando.
      - consultans
        - secum: Aporia 15
        - cum aliis: Anacœnosis 16
      - occupans alienum: consiliũ
        - Prolepsis 17
        - Prosopodosis 18
    - respondendo.
      - facti condonatio: Epitrope 19
      - dicti venia: Synchoresis 20

Tab.

Tab. I.

Epizeuxis repetitio ſoni ſimilis continuè in eadem ſententia:

- Iterantur
  - pars Vocis in
    - Initiis: *O utinam poſſem populos reparare paterna. Artibus atque animos formata infundere terra!*
    - Clauſulis: *Ad peſtem comprimendam, extinguendam, fundit us delendam.*
  - Vox integra
    - eadem literis & ſyllabis: *O Coridon, Coridon! O Cives cives!*
    - diverſa literis, eadem ſono: Mearum voluptatum *inventor, inceptor, perfector!*
  - ſententia
    - continuè: ſi niſi quæ poterit facie te digna videri *Nulla futura tua eſt: nulla futura tua eſt.*
    - ſeparata
      - membro,
        - voce aliqua: *bella*, horrida *bella*, *fugite*, ô ſocii, fugite
        - incluſa parentheſi: Totum *hoc (quod certè maximum eſt)* totum, *inquam, eſt tuũ.*
        - ſine parentheſi: *Talis amor Daphnin*, & poſt tres verſus, *talis amor Daphnin.*

Nota, ſi parentheſis longior fuerit, voci repetitæ addendum eſt [*inquam.*] *Tab.*

Tab. II.

Anadiplosis, idem sonus duplicatus, in ultima voce præcedentis, prima subsequentis:

est
- simplex
  - vox
    1. Continuè: Spectatum *veniunt. veniunt* spectentur ut ipsæ.
    2. Aliis intervenientibus: *Vivis & vivis*, non ad deponendam, sed ad confirmandam audaciam.
  - hemistichium: Ut mihi sunt toties maxima *vota mori*; *Vota mori* mea sunt.
- gradibus continua Climax.
  - Vox eadem purè: Quæ reliqua spes libertatis, si illis & quod *libet, licet*: & quod *licet, possunt*; & quod *possunt, audent*; & quod *audent, faciunt*; & quod *faciunt* vobis molestum non est?
  - Alterâ mutatâ, sensum manent: Nec verò se *Populo* solum, sed *Senatui* commisit; nec *Senatui* modo, sed *publicis præsidiis & armis*; nec *his* tantum, sed *ejus potestati*, cui *Senatus* totam Rē-publicam commisit.

Tab.

Tab. III.

Anaphora repetitio ſoni ſimilis disjuncte in ſententiarum principiis.

est {
1. Literæ vel ſyllabæ: Sollicitam mihi Civitatem *ſuſpicione*, *ſuſpenſam* metu *&c.* tradidiſtis.

2. Soni in { Polyſyndeto: *Et conſilio regere, & integritate tueri, & virtute conficere.* Aſyndeto: *Ferte citi ferrum, date tela, ſcandite muros.*

3. Vocis *Nihilne* te nocturnum præſidium palatii, *nihil* urbis vigiliæ, *nihil* timor populi, nihil hic munitiſſimus habendi Senatus locus, *nihil* horum ora vultuſque moverunt?

4. Membri: *Quid eſt tam populare quam pax? quid tam populare quam* libertas!

5. Hemiſtichii: *Nec quæ præteriit* curſu revocabitur unda:
Nec quæ præteriit hora redire poteſt:

6. Verſus: *Incipe Mænalios mecum mea tibia verſus*, octies repetitur: eclog. 9. vocaturque verſus intercalaris.

7. Vocis alternatim; *Tu* actionem inſtituis; *ille* aciem inſtruit; *tu* cave nè conſultores tui; *ille* nè urbes aut caſtra capiantur.
}
Elegantior in pluribus vocibus.

Tab.

Tab. IV.

Epiſtrophe repetitio ſimilis ſoni diſjuncte in clauſulis:

1. Soni, Eſt non *ſcripta* ſed *nata lex*: quam non *didicimus, accepimus, legimus:* verum ex ipſa natura *arripuimus*, *hauſimus*, *expreſſimus:* ad quam non *docti*, ſed *facti*; non *inſtituti*, ſed *imbuti ſumus.*

2. Vocis, Doleris tres exercitus Populi Romani *eſſe interfectos? interfecit Antonius:* Deſideratis clariſſimos cives? eos quoque eripuit *Antonius*: Autoritas hujus ordinis afflicta eſt? afflixit *Antonius.* Venimus huc *ambo* cur non diſcedimus *ambo.*

3. Hemiſtichii, Capto tuam, pudet heu, ſed capto Maxime cœnam:
Tu capras alias: *Jam ſumus ergò pares*
Mane ſalutatum venio: tu diceris iſſe
Ante ſalutatum: *Jam ſumus ergò pares.*
Sum comes ipſe tuus, tumidique aut ambulo regis:
Tu comes alterius: *Iam ſumus ergò pares.*

4. Integri verſus, *Ducite ab urbe domum, mea Carmina, ducito Daphnum.*

Tab. V.

Tab. V.

Symploce repetitio ſoni ſimilis disjunctè in principiis & clauſulis:

fit
- 1. Sono, *Spem* improbis *oſtendiſtis*: *timorem* bonis *injeciſtis*: *fidem* de foro, *dignitatem* de Republica *ſuſtuliſtis*.
- a Voce
  - 1. Ex alterâ parte, *Quis* clarioribus viris *jucundior? quis* turpioribus *conjunctior?* *quis* voluptatibus *inquinatior? Cum* triſtibus *severè*: cum repulſis *jucunde*, &c.
  - 2. Ex utraque, *Quis* legem tulit? *Rullius*, *Quis* majorem populi partem ſuffragiis privavit? *Rullus*. *Quis* comitiis præfuit? Idem *Rullus*.

Tab. VI.

Epanalepsis repetitio ejusdem soni disjunctè in diversis locis ejusdem sententiæ; principio scilicet, & fine.

fit
1. Sono tantum, *Saluti* potius consulam, quàm *voluntati.*
2. Voce, *Multa* super Priamo rogitans, super Hectore *multa.*
3. Hemistichio, *Prosphore redde diem!* Quid gaudia nostra moraris.
Cæsare venturo? *Phosphore redde diem!*
4. Versu. *Quid est Catulle, quod moraris emori:* & post tres versus,
Quid est Catulle, quod moraris emori.

Tab. VII.

Epanodos repetitio ſoni in locis diverſis, incertis diverſarum:

fit in
1. Principio præcedentis, medio ſubſequentis: *Deſerit* & muros, & ſummas *deſerit* arces.
2. Medio præcedentis, fine ſubſequentis: Nil deſperandum, *Chriſto* duce & auſpice *Chriſto*.
3. Utriſque geminatis: *Crudelis tu quoque mater: Crudelis mater* magis an *puer improbus ille? Improbus ille puer, crudelis tu quoque mater.*

fit vel
1. Sono: Habuit *honorem ut proditori*; non *ut amico fidem.*
2. Voce: Gratiam *qui habet refert.* & *qui habet* eo quod *habet refert.* Demophoon ventis *& verba & vela* dediſti: *Vela* queror reditu, *verba* carere fide.
3. Proponit & dividit:
Iphitus & Pelias mecum: quorum *Iphitus* ævo
Jam gravior, *Pelias* & vulnere tardus
Ulyſſi.

Tab. VIII.

Paronomasia repetitio soni leviter dissimilis alludit:

fitque
- mutando
  1. Literas.
  2. Originem proximam.
  3. Significationem.
- in
  - Epizeuxi, *Fit via vi.* Non *emissus*, sed *immissus.*
  - Anadiplosis, Crines nodantur in *aurum*——
    Aurea purpuream subnectit fibula vestem.
  - Anaphorà, *Neu te dexterior*, &c. *Neve sinisterior*, &c.
  - Epistrophe, Nemo potest dare *matrimonium*, nisi penes quem sit *patrimonium.*
  - Epanalepsi, *Ungulaque* in quinos dilapsa absumitur *ungues:*
  - Symploce, *Exul* potius *tentare*, quàm *Consul vexare* Rempublicam possis.
  - Epanodos, ejusdem hominis est, qui *improbos probet*, *probos improbare.*

Tab.

Tab. IX.

Polyptoton repetitio soni leviter dissimilis motu casuum varios

in
- Epizeuxi: *Litora litoribus* contraria.
- Anadiploſi: Jamque nocens *ferrum*, *ferroque* nocentius aurum *Prodierat*, *prodit* bellum, quod pugnat utroque.
- Anaphora: *Homines te*: quater in principiis repetitur. Cicero de reſponſis auruſp.
- Epiſtrophe: Oſcula dat *ligno:* refugit tamen oſcula *lignum.*
- Epanalepſi: *Vives* & *vives* ita ut nunc *vivis.*
- Epanodo: *Quod ſequitur, fugio: quod fugit*, ipſe *ſequor.*
- Qui, quia non licuit, *non facit ille facit.*
- Sympleoce: Quid *facies facies Veneris* cum *veneris* ante?
- *Ne ſedeas ſed eas: ne pereas per eas.*

Tab. X.

Ecphoneſis in mentis ſoliloquio exclamat, per varii affectus adverbia:

ſive
- Admirationis, *ô clementiam admirabilem* !
- Deſperationis, *ô fruſtra mei ſuſcepti labores*!
- Optationis, *utinam*!
- Indignationis, *ô ſcelus* !
- Irriſionis, *ô ſtultos Camillos* !
- Obteſtationis, *Proh Deum atque hominum fidem* !
- Commiſerationis, & doloris, *Ah*, *heu*, *ehei*, *eheu* !
- Invocationis, *Di maris & cæli* !
- Deprecationis, *Omen avertat Deus* !
- Imprecationis, *Dii te perdant* !
- Epiphonema, *Tantæ molis erat* !
- Parrheſia, *Vide quam reformidem* !

Tab. XI.

Epanorthosis in mentis soliloquio, dictum ardentioris sermonis refrigeratione & correctione revocat:

estque { Dicti: Filium habeo ah quid dixi? *habere me? imo habui* Chreme: nunc *habeam* necne, incertum est.
Facti quasi pœnitentia: *Sed quid ego ita gravem personam induxi!*

Tab. XII.

Aposiopesis in mentis soliloquio dicenda supprimit è re supplenda, *Ego te furcifer, si vivo!* Cætera gestu agit.

Tab.

Tab. XIII.

Apoſtrophe in mentis ſoliloquio ad alios avertitur:

- idque
  - ad
    - Deos. Hujus loci eſt poëtica deorum invocatio, Græcis in ipſo limine, Latinis mox ab introitu uſitata.
    - Homines,
      - Alios: *Quouſque tandem abutere, Catilina, patientia noſtra?*
      - Noſipſos: *Quin morere, ut merita eſt: ferroque averte dolorem.*
    - Rem mutam: *Vos albani tumuli*, &c. *O vitæ, Philoſophia, dux! ad te confugimus, à te opem petimus*, &c.
  - Per apoſtrophen poëticam mutando caſu: *Terretur minimo pennæ ſtridore columba, Unguibus, accipiter, ſaucia facta tuis.*

Tab. XIV.

Prosopopœia in deliberando, alium fingendo, suis verbis loquentem imitatur:

per { Mime sin, quæ alterius sermonem summatim percurrit, mutatis formulâ, & personis: passim apud historicos.
Æthopœiam; quæ coram suis verbis loquentem introducit: Æneas, *&c.* dividit, & dictis mœrentia pectora mulcet;
O socii, neque enim ignari sumus ante malorum;
O passi graviora! dabit Deus his quoque finem.

Nota. Accessus & recessus sint decori; ne irruisse videamur.

Tab.

Tab. XV.

Aporia, quâ quis ſe interrogando init ſecum conſilii rationem:

duplicitèr:
- cum reſponſio ſubjicitur:
  Quid faciam? rurſumne procos irriſa priores
  Experiar? Nomadumque petam connubia ſupplex, &c.
- reponit tandem ex improviſo:
  Quin morere, ut merita es: ferroque averte dolorem.
- addubitatio ſola eſt:
  Heu quæ nunc tellus, quæ me æquora poſſunt.
  —Excipere? aut quid miſero mihi denique reſtat?

Tab. XVI.

Anacœnoſis in colloquio alium interrogando confert conſilia:

reſponſionem:
- Subnectit: *Quem virum aut Heroa lyrâ vel acri tibiâ ſumes celebrare, Clio.* Muſam alloquitur. Illa refert: *Quid prius dicam ſolitis parentum laudibus?*
- Negligit: *Quis cladem illius noctis, funera fando*
  Explicet, aut poſt lachrymas æquare dolorem?

Tab.

Tab. XVII. XVIII.

Prolepsis colloquendo aliam interrogationem præoccupat: Prosapodosis præoccupanti interrogationem respondet.

- utrumque habet
  - Omittit quandoque Prosopopœiam, cum conjunctioni,
    - bus
      - Adversativis, Prolepsis, *Quanquam, quamvis, etsi, licet.*
      - Redditivis, Prosapadosis: *tamen, attamen.*
  - mimesin
    - Prolepsis, *Dura aliquis præcepta vocet mea,—*
    - Prosapadosis, —*Dura fatemur*
    - *Esse, sed ut valeas multa dolenda feras.*
  - prosopopœiam
    - Prolepsis; dixerit è multis aliquis, *Cur virus in angues Adjicit, & rapidis tradis ovile lupis?*
    - Prosapodosis, —*Parcite Paucarum culpam diffundere inomnes.*

Tab.

Tab. XIX.

Epitrophe in colloquiis respondendo factum condonat:

- Seriò: *Immo habeat, valeat, vivat cum illa, profundat, pereat, perdat. nihil ad me attinet:*
- vel
  - Scopticè: *Scilicet is Superis labor est, ea cura quietos*
    Sollicitat. Neque te teneo, neque dicta refello.
    I; sequere Italiam ventis; pete regna per undas.

Tab. XX.

Synchoresis in colloquiis respondendo dicti veniam facit:

- Nihil affert damni: *Sit sacrilegus, sit fur, sit flagitiorum omnium princeps: at est bonus Imperator*
- cum
  - Adversarium pungit: *Habet igitur Tubero, quod est accusatori maxime optandum, confitentem reum: sed tamen hoc ita confitentem, se in ea parte fuisse, quâ te Tubero, quâ virum omni laude dignum patrem tuum. Itaque prius de vestro delicto confiteamini necesse est, quam Ligarii ullam culpam reprehendatis.*

FINIS.

Hugh Tayler

His Book

Anno Domini

1695